AVLI PERSII
FLACCI
SATYRÆ
SEX.

Cum posthumis Commentariis,
IOANNIS BOND.



LONDINI,
Excudebat *Felix Kingstonius* impensis *Gulielmi Aspley*, & *Nathanielis Butterij*.
1614.



REVEREN-DISSIMO IN CHRI-sto Patri ac Domino D. *Iacobo Mountague* Episcopo Ba-thon. & *Wellen.*



NNVS iam ferè præterijt (reuerendissime in Christo Pater) ex quo socer meus IOANNES BOND multis nominibus Dominationi vestræ deuotissimus, mortem cum vitâ commutauit. Cuius in Persium Commentarij (cum ipse incastigatos reliquisset) operæ pretium existimaui, si quouis modo ab interitu vindicarentur: propterea quòd compertum haberem, eius, in Horatium Annotationes foris & domi benè audijsse. Testantur Editiones

crebræ, quas emanare in vulgus ſine publicâ vtilitate nefas eſt dixiſſe. Tuum ſi acccesſerit iudicium (reuerendiſſime Præſul) Zoilos redarguet, & aduerſus omnia tempora defendet.

Dominationi veſtræ ſtudioſiſſimus,

ROOERVS PROWSE.



LECTORI BENEVOLO salutem.

NIHIL vnquam magis expetiui (candide Lector) quàm vt vota DEO, hominibus promissa præstare valeam. Illa verò persoluere, quatenus homo sum, vires meas longè superat; hæc adimplere, (vsque quò licita sunt & honesta) animus certè nunquam deerit.

Promisi equidem quatuor ferè abhinc annis, cùm Scholia mea in Horatium emitterem, maiora aggressurum, si DEVS longiorem huius vitæ vsurā mihi dedisset, præsertim si intellexerim studiorum meorum labores Musarum alumnis gratos

fore & acceptos. Alterum DEUS pro suâ in me misericordiâ concessit, alterum testantur multorum doctissimorum virorum laudes, quas in illud Commentariolum meum plenâ manu congesserunt. Idque opinor non aliam ob causam fecerunt, nisi quòd in illo fuerim breuis & succinctus, nec minùs breuis quàm apertus & perspicuus, quod præstare teste Cicerone, difficile est. Nam in re magnâ & sententiâ longâ, breuitatem orationis adhibere, sine dubio obscuritatem parit, vnde illud poëtæ.

—— breuis esse laboro,
Obscurus fio. ——

Proinde Orationis oportunitas, vt benè dixit Pindarus παντὸς ἔχει κορυφὰν *omnium rerum præcipuam laudem meretur, quæ & breuis sit, cum breuitate opus est, & longa, cùm res & tempus verborum multitudinem desiderant. At stylus Persii, cùm sit adeò figuratus, vt ne vocula quidem vna sit expers alicuius artificij, quis in illo explicando breuitatem à me expecta-*

expectabit? Siquidem quod Horatius admisit, negat Persius, qui consultò est obscurus suísque scriptis caliginem & tenebras ex industriâ obiecit. Multi tamen & sancti & eruditi viri hunc libellum in oculis, seu mauis in osculis habuere, nec immeritò, quippe qui sententiarum grauitate & verborum pondere haud vlli Satygrapho postponendus est. Vitia namque insectatur acerrimè, virtutes verò ad cælum laudibus euehit sanctissimè. In quo miram inuenies eruditionèm, stylum tersum & politum, varietatem rerum iucundissimam, omnia denique non vbiuis obuia, scitu tamen (si quid aliud) dignissima. Mole, fateor, est perexiguus, sic etiam sunt gemmæ pretiosæ; sed tanto plus habet authoritatis, quanto minùs habet ponderis. Vnde luculenter cecinit Martialis,

Sæpiùs in libro memoratur Persius vno,
Quàm leuis in totâ Marsus Amazonide.

Non

Non sum nescius (Lector humanissime) quantæ sit difficultatis hunc poëtã planè & plenè interpretari, qui adeò nodosus est et sublimis, vt nemo ferè omniũ veram ac integrã ipsius notitiam sibi vnquam assumpserit: imò (vt audacter Lubinus pronuntiat) Persius à nemine adhuc virorum doctorum per omnia plenè est intellectus. Neq; me latet quantæ sit audaciæ post tot literatissimos viros, qui in hoc opere sudârunt, aliquid de meo afferre. Quod scripsi tamen, in spem venio quòd tibi arriserit, non modò quia breuior sum reliquis, sed etiam quia Ordo Constructionis & Ecphrasis adiuncta, vnà cum Annotationibus in margine appositis, Persium ex composito obscurum & tenebris inuolutum, tibi vtcunque clarum reddent & manifestum. Quòd si scripta mea non per omnia votis tuis respondeant, Ignoscas mihi quæso beneuole Lector. Nihil enim adeò elaboratum conficiunt homines, quod omnibus numeris est

absolu-

absolutum, nec quisquam tam solidè doctus est, aut in eâ arte quam profitetur adeò exercitatus, quin interdum errare, decipi & labi potest.

Tui studiosissimus,

IO. BOND.

De
ef
ca
ef
im
no
Re
to
pr
qu
O

An
Eq
pc
ſcr



AVL. PERSII VITA.



Vlus Persius Flaccus, vt autor est Eusebius, Volaterris Hetruriæ ciuitate natus est, quod & ipse videtur innuere, cùm ait Satyrâ sextâ,

—— Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatq́; meum mare, quâ latus ingens
Dant scopuli, & multâ litus se valle receptat.
Lunai, &c.——

Describit enim portum Lunæ, quod oppidum est in Hetruriâ, quo secesserat: & mare suum vocat, nimirùm se Hetruscum significans. Natus est, vt quidã volunt, sub Tyberio principe, eius imperij anno vigesimo primo. Mortuus, Neronis nono, cum ageret tricesimum ætatis suæ annum. Romam literarum causâ profectus, sumptâ virili togâ, Cornuto Philosopho dedit operam, quem præcipuè obseruabat, vt ipse testatur Satyrâ quintâ.

Cùm primùm pauido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit, &c.
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.——

Amicos inprimis coluit Minutium Macrinum Equestris ordinis principem, & Cæsium Bassum poëtam Lyricum. Præter has Satyras, nihil scripsisse testatur Quintilianus.

Persius

Persius è tenebris rediuiuus prodit in auras,
Et se miratur cultiùs ore loqui.
Ordo, Phrasis, breuitas, & quæq; obscura patescũt
Vt solet exorto nox tenebrosa die.
Qui dedit hanc lucem longo dignißimus æuo:
(Flete virum Musæ) scripsit, & occubuit.

Io. Storie.

Bondus *erit Phœbus,* Persi, *sis altera Phœbe:*
Vt Phœbe Phœbus, sic tibi Bondus *erit.*

Tho. Court generosus.

Author, & interpres quasi mens, & lingua cohærẽt:
Mens obscura latet, si modo lingua silet,

Guliel. Cuffe generosus.

OEdipe *solus eras Sphingis qui ænigmata:* Persi,
Bond *tua qui potuit soluere, solus erat.*

Ia. Collard.

Anagramma.
Ioannes Bond.
In Nodo Beans.

In Nodo *quocunq;* Beans, *quem Persius olim*
Nexuit, hic Vinclũm, *Candide Lector, habes.*

Guliel. Sond.

uras,

atescũt

euo:
iit.
ic.

ɔœbe:
it.
ɛroſus.

---

cohærẽt:

ɛroſus.

---

a:Perſi,
.
ɛd.

ſius olim
ibes.
ɔnd.

A

N

Mo

In

tyra

ho

piti

quò

uer

.i. v

visi

mo

fab

qua

gen



AVLI PERSII FLACCI IN SVVM SATYRARVM LIB.

PROLOGVS.

NEc fonte labra [1] prolui [2] Caballino;
Nec in [3] bicipiti somniasse [4] Parnasso
Memini, vt [5] repentè sic Poëta [6] prodirem.

In hoc anteloquio (quod veriùs Ænigma dixeris) Persius *aliorum carpit vitia, nobilium nempè, & diuitum Romanorũ, qui aut lucri causâ aut famæ dulcedine, quasi diuino spiritu efflati, è vestigio Poëtæ euadunt excellentissimi. Atque hoc Satyricis in more positum est, vt se ipsi acerbiùs reprehendant, quò aliorum sordes & ineptias liberiùs insectentur, acriùsque perstringant. Primùm igitur suam in re poëticâ scientiam extenuat, in eo, quòd nullum prorsus commercium cum Musis habuerit, vndè subitò Poëta fieret.*

Nec prolui labra fonte caballino;] .i. Ego Persius Satyras iam scripturus, vix dum fonti Pegaseo labra admoui, vt olim Hesiodus; [*nec memini somniasse in bicipiti Parnasso,*] .i. nec in memoriam reuocare possum, quòd aliquando dormierim in Parnasso monte illo biuertice. (sicut Ennius) *vt sic prodirem Poëta repentè.*] .i. vt vnico fontis gustu, vel vt Musis in Parnasso semel visis, statim Poëta euaderem.

1 *Preluo, is.* plerumque significat multùm, siue multo tempore lauare. *Vel,* labra belluarum more aquis immergere. Verùm Persius, cùm in hoc Exordio se deijciat, & fastum à se procul remouere cupiat, sic intelligendus est, quasi dicat, *Ego ne primis quidem labris fontem Pegaseium leniter attigi.*

2 Fonte equino, quem ictu vngulæ, Pegasus equus ille penniger Bellerophontis effodit, cùm in Heliconem Bœotiæ montem Musis sacrum, euolasset. vide Ouid. Meta. lib. v. Quæ quidem fabula, originem (opinor) traxit, ab acumine mentis, equo alato, imò qualibet sagittâ velocioris, in Poëtis præsertim. 3 In duos colles surgenti. 4 *Parnassus,* mons est in Phocide Apollini & Musis poëtarum

Præsidibus consecratus, duos habet vertices, vnde *biceps* appellatur. Caput pro fastigio. 5 Celeriter, sine vllo labore, diuinitùs. 6 Quasi nouum miraculum è tenebris in lucem prodirem.

1 Sodalitium musarum, quæ à monte Helicone quem incolunt, dictæ sunt *Heliconides*.

2 Fontem in pede Acrocorinthi Musis peculiariter sacrum, qui aquas ad imum vsque habet perspicuas & potui iucundissimas. *Pallida* dicitur Pyrene, ob pallorem è studio contractum. albicant enim qui vitam degunt sedentariam. Pers. —— *iuuat impallescere chartis*. 3 Circumeunt, & quasi linguâ ambiunt. Hedera enim Baccho sacra, habet folia in linguæ speciem desinentia, è quibus sicuti ex folijs lauri, serta fiebant ad vates coronandos, quoniam in Bacchi tutelâ erant. Virg. *Pastores hederâ crescentem ornate poëtam*. 4 Hederæ natura est, ea quibus adhæret tenaciter persequi 5 Semipoëta, poëta minùs politus, semirusticus, qui Satyris meis profanis sacra aliorum poëmata contamino. 6 Ad Poëtarum cœtus & conuenticula, quibus se inserere Persius non audet. *Vel*, Ad Musarum & Apollinis Bibliothecam ab Augusto Cæsare extructam, ad quam Poëtæ opera sua deferebant.

[1] Heliconidásque, pallidámque [2] Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines [3] lambunt
Hederæ [4] sequaces: Ipse [5] semipaganus
[6] Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Relinquo Heliconiadásque, pallidámque Pyrenen illis, quorum imagines hederæ sequaces lambunt:] .i. eam ob causam (quia sc. hoc mihi, de quo alij gloriantur, vindicare nequeo) ego, & montes & fontes Musis consecratos, illis relinquo, quorum statuæ in Camœnarum æde positæ, hederæ folijs coronantur, ad immortalia ingenij monumenta: [*Ipse semipaganus affero carmen nostrum ad sacra vatum.*] i. Ego verò, etsi poëta subrusticus sim & agrestis, versus tamen meos ad sacram Apollinis ædem adporto, idque quasi penuriâ coactus facio, veluti psitacus & alia bruta animalia, quæ fame stimulante, vocem humanam discunt effingere.

1 *Psitacus*, auis est ex Indiâ, qui vocem humanam super omnia reddit, & quidem sermocinans: cui cùm sit lingua latior quàm cæteris auibus, eò faciliùs verba hominis articulantur paten-

Quis expediuit [1] psitaco [2] suum χαῖρε?
Coruos quis olim [3] concauum salutare?
Picásque docuit nostra verba [4] conari?
Magister artis [5] ingeníque largitor
[6] Venter, negatas artifex sequi voces.

Animaduerte LECTOR, quòd Persius non de se, hîc seriò loquitur, qui Eques fuit Romanus locupletissimus, sed sub suâ personâ, poëtas exagitat insulsos & parasitastros,

tastros, qui ventris explendi gratiâ, patronis suis diuitibus molli aliquo poëmate adblandiebantur.

Quis expediuit psitaco suum χαῖρε?] .i. quis psitacum docuit tam expeditè proferre hanc salutantis vocem, sc. SALVE? [*quis olim docuit coruos salutare concauum?*] .i. quis Augusti temporibus, coruum instruxit raucam & concauam salutationem enarrare? [*& quis docuit picas conari verba nostra?*] .i. quisnam garrulas docuit picas, nostras hominum voces exprimere? Persius suæ interrogationi respondet. *Venter magister artis & largitor ingenî, artifex sequi voces negatas.*] .i. Venter famelicus humanum loqui docuit has aues, qui quidem venter, artis poëticæ est magister, & à quo ingenium fit subtilius: venter (inquam) qui peritus est & valdè ingeniosus, ad sequendum & consequendum vocem humanam, auibus à naturâ negatam.

tiore plectro & palato.
2 Quasi proprium & naturale illi esse videatur.
3 Salutationem quasi ex concauâ speluncâ proficiscentem.
4 Imitari, *vel*, magno conatu proferre.
5 Fames ingenij acumen multis largitur. Mart. *Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.*
6 Venter esuriens. Virg. — *& duris vrgens in rebus egestas.*

QVOD SI [1] DOLOSI SPES REFVLSERIT NVMMI:
Coruos Poëtas, & poëtrias picas
[2] *Cantare credas* [3] *Pegaseium* [4] *melos.*

Quòd si spes nummi dolosi refulserit, credas coruos poëtas, & picas poëtrias cantare melos Pegaseium.] .i. Verùm si apparuerit spes nummi homines facientis dolosos, credere tu quidem possis, coruos quasi poëtas, & picas quasi poëtrias, dulcissimum carmen fundere, quale canunt poëtæ, qui è fonte Pegaseio se bibisse iactitant.

1 NVMMVS dolo plenus est, & multos facit dolosos. Phocidides. χρυσὸς ἀεὶ δόλιός ἐστι καὶ ἄργυρος.
2 Cantare posse.
3 Carmen suauissimum, quasi ad Pegasi fontem elaboratum.
4 Hic versiculus mirè vexauit Interpretes, qui de quantitate *Melos*, & scripturæ litigârunt sed sine causâ, me iudice. Nam, *Melos* etsi lege carminis primam sæpiùs corripit, Homerus tamen in Hymnis, μέλος, priore productâ extulit, cuius exemplum in hoc versu sequitur Persius. Et Martianus Capella libro nono cecinit, *Et melicos cantus melica grata tulit.* Vt de alijs taceam, Politianus in suis Miscellaneis, multis abhinc annis, & Clauerius (literarum certè lumen) in nuperis suis Annotationibus, *Nectar*, pro *Melos* legendum esse con-

tendunt, quorum ille se legisse *Nectar* in codice antiquissimo affirmat; hic verò, dictionem *Nectar* à se repertam & fideliter exhibitam, ingenuè testatur. Sunt qui sedes mutant, vt dictio *Credas* in fine versus colloce-tur. Alij literam *.l.* geminant, vt scansionis stet ratio, sicuti in Virgilio. *Relliquias Danaum* — — In hac opinionum varietate, penes te est, Lector beneuole, vtra tibi magis lectio placuerit: vulgatum ego non repudio, at Persio mendum adscribere, nefas esse iudico.

A. PERSII FLACCI
SATYRA PRIMA.

O CVRAS HOMINVM! O QVANTVM EST IN REBVS [1] INANE!
Quis leget hæc? M. min' tu istud ais? nemo her-cule. P. nemo?
M. *Vel duo, vel nemo.* P. *turpe & miserabile.* M. *quare?*
P. [2] *Ne mihi* [3] *Polydamas, & Troiädes* [4] *La-beonem*
Prætulerint. ———

Persius in huius Satyræ exordio, cum indignatione excla-mat contra Romanos, qui non modò in versibus, sed eti-am in prosâ oratione, colore poëtico sint abusi: eo nimi-rùm vt apud vulgus laudem quærerent.

O CVRAS *hominum!*] .i. O vanas & varias hominum cogitationes! [*quantum inane est in rebus!*] .i. quanta est in rebus humanis insipientia! [*quis leget hæc?*] .i. quotusquisque has meas leget Satyras acrimoniâ & acerbitate plenas? Hîc introducitur Monitor aliquis, qui Persij orationem abrumpit. M. *ais tu istud mihi?*] .i. mihi-ne ô Persi istud loqueris? [*herculè nemo.*] .i. per Herculem iuro, quòd nemo viuit hisce temporibus qui scripta tua mordacia leget, nam eò ventum est, vt versus dulces & lasciui duntaxàt in pretio sint & honore. P. *nemo?*] .i. itá-ne verò? (inquit Persius) nemon' hæc carmina mea curabit?

1 *Inane*, quandóque ponitur pro eo spacio quod intercedit inter cœlum & terras, ex Democriti & Epicuri sententiâ, vt Virg. in Sileno. *Namque canebat vti magnum per inane coacta Semina, terrarúmque animæque marisque fuissent.* Hîc verò significat ingenij vel rationis vacuitatem: seu potiùs leues & inanes homines, quos Græci appellant κενοδόξους. .i. *inanis gloriæ cupidos.* de quibus Horat. lib. 1. Satyr. IV. — — *inanes Hos inquit,* ...

rabit? Respondet Monitor. *Vel duo, vel nemo.*] .i. pauci admodum, seu potius nemo reperietur, qui Satyricam tuam mordacitatem legere sustinebit. P. *turpe & miserabile.*] .i. quòd nemo lecturus sit scripta mea (inquit Persius) ad honestatem & bonos mores spectantia, hoc quidem turpe est & miseratione dignum. M. *quare?*] .i. cur turpe hoc dicis & miserabile (inquit Monitor?) Respondet Persius. *Ne Polydamas & Troiades prætulerint mihi Labeonem.*] .i. equidem vereor, ne Polydamas [.i. NERO] & Troiades (.i. Romani ineptè iudicantes) Labeonem poëtam insulsum mihi præposuerint.

2 Hic versus perplexus sanè est & ambiguus, quapropter varios variè agitauit Interpretes. Sunt qui volunt particulam *Ne* cum diphthongo scribi, vt sit Aduerbium affirmandi: alij diphthongum reijciunt, vt sit Aduerbium imperandi. Liberum sit suum cuique iudicium. Ego verò neutrum probo, sed ijs assentior, qui in oratione tam abruptâ, verbum *vereor, timeo, sollicitus sum,* vel huiusmodi subintelligunt, sic enim Poëta timoris speciem præ se fert, quid de suis Satyris iudicet populus, quem tamen vili æstimat & salsè irridet. est igitur Ironia. 3 *Polydamas* fuit Troianus, Panthi filius, vir admodum prudens, sed timidus, per quem poëta NERONEM carminum censorem intelligit, sicut per *Troiades* designat Romanos, qui à Troianis originem quum traherent, facti sunt verè Troiades .i. effœminati, degeneres, luxuriosi. 4 *Accius Labeo,* (sic dictus, à labiorum magnitudine) insipidus & abnormis poëta fuit, Neroni tamen gratissimus, quòd Iliad. Homeri, verbum verbo reddens, fœdissimè transtulisset.

——MO. *nugæ. non si quid turbida Roma*
[1] *Eleuet, accedas:* [2] *examénue improbum in illâ*
Castiges [3] *trutinâ:* NEC TE QVAESIVERIS [4] EXTRA.

Nugæ.] i. hæc NERONIS & vulgi temerarij iudicia (inquit Monitor) sunt verba leuia & nullius ponderis. [*si Roma turbida eleuet quid, non accedas castigésue examen improbum in illâ trutinâ:*] .i. si Populus Romanus, cuius iudicium impurum est & mobile, quicquam tuæ laudis in cœlum vsque extollat deprimatue, aut imminuat, non tu statim illi opinioni debes adsentiri, neque vitiosum vulgi iudicium examinare aut castigare debes, in illâ peruersâ & iniquâ lance, quâ plebs Romana res ponderat. sed potiùs in trutinâ tui ipsius recti & limati iudicij, id corrigas & emendes. [NEC *quæsiueris te extra.*] .i. Nec verba, dicta, facta tua

1 *Eleuare,* quandoque significat sursum leuare, vel in altum tollere. Hîc verò ponitur, pro extenuare, vel rem laude dignam verbis deprimere. sic Liu. lib. XXVIII. *Q. Fabius res gestas in Hispaniâ eleuauit.* .i. depressit.
2 *Examen,* est lancium lingua, quæ, quo pondus se vergit, exit. hîc

autem per metaphoram à ponderatoribus deductam, significat iudicij inuestigationem.
3 In illâ Po.Romani censura.

mensus fueris extra te .i. iuxta opinionem populi, qui (vt benè Horat.)

— — *stultus honorem*
Sæpè dat indignis, & famæ seruit ineptus

sed tibi ad gloriam sufficiat benefacti Conscientia. NOSCE igitur teipsum, atque tuo de te incorrupto vtere testimonio.

Trutina propriè est oblongum illud foramen, intra quod est lingua bilancis, in quo foramine ostenditur vel æquilibrium, vel inæqualitas rei ponderatæ. 4 Extra Conscientiam tuam.

Nam Romæ quis non? P. *ah, si fas dicere! sed fas,*
Tunc cùm ad [1] *canitiem, & nostrum istud* [2] *viuere triste*
Aspexi, [3] *& nucibus facimus quæcunque relictis:*
[4] *Cùm sapimus patruos, tunc, tunc, ignoscite.* M. *nolo.*
P. *Quid faciam? sed sum petulanti* [5] *splene* [6] *cachinno.*

Nam Romæ quis non?] .i. Romæ quis non iniquus est rerum æstimator? quis se extra se non quærit? *ah, si fas dicere!*] .i. vtinam liceret mihi (qui Annum ætatis trigesimum nondum attigi) nefarios Romanorum mores impunè notare! [*sed fas tunc, cùm adspexi ad canitiem, & nostrum istud triste viuere.*] .i. sed fas esse videtur, quum contemplor mentis meæ canitiem & vitam seueram, [*& facimus quæcunq; nucibus relictis:*] .i. et cùm facimus omnia, quæ facere debemus (grauiora nimirum & magis seria) finitâ meâ & transactâ pueritiâ: [*cùm sapimus patruos,*] .i. quum patrui mores didici, qui me instituit, [*tunc, tunc.*] .i. tunc licitum esse videtur, aliorum vitia liberè insectari, [*ignoscite.*] .i. ignoscite igitur mihi ô Romani, si in Satyris meis, vestram stultitiam omnibus deridendam patefaciam. Respondet Monitor nomine totius populi. *Nolo.*] i. nolo equidem tibi ignoscere, si scribas. Poëta igitur temporibus tyrannicis quasi metu perculsus, secum addubitat, vtrùm scribat an taceat. *Quid faciam?*

1 Ego cum Autumno, viro inprimis erudito, qui hinc biennium singulares in Persium scripsit Annotationes, *canitiem* animi sapientiâ imbuti, potiùs quàm album capillitium hîc explico. quamuis, vt inquit Cyprianus, videmus in pueris canos. Persius igitur fortasse fuit ἀνὴρ ἀργυρόχρωτος cæsarie argenteâ, qualis fuit Hadrianus Imperator. *Canescunt homines magis à temporibus, quoniam regio illa est omnium siccissima.* Gal.lib.11.de Temperam.

2 Vitam istam nostram tristem & austeram. Est autem Hellenismus.

ani? sed sum cachinno splene petulanti.] .i. quamuis hîc mirificè fluctuo, vt quid faciam animi pendeo, natura tamen sic meum finxit & formauit splenem, vt non possim non aliorum vitia petulanter irridere.

3 Et Quum pueritiæ renunciauerim. Prouerbium est à puerorum lusibus ductum. Horat. Satyr. III. lib. II. *Ludere par impar, equitare in arundine longâ.* 4 Quum sapientiâ patruos imitamur & repræsentamus. Solent patrui, fratrum liberos suæ fidei & educationi commissos, acriùs obiurgare, si quid delinquant. Magna enim est in peccatis filij oculorum paternorum lippitudo seu potiùs cæcitas: at patruus ab hoc impotenti affectu liber, incorruptè iudicat, & castigat seuerè. Ex quo natum est, vt *Patruus* pro sæuo reprehensore seu castigatore ponatur. Cic. pro Cælio. *Qui in reliquâ vitâ mitis esset, fuit in hac causâ pertristis quidam patruus, censor, castigator.* 5 Risus & lætitiæ affectus in splene est, vt Medici dicunt, cuius magnitudo facit homines ad risum procliuiores, iuxta illud. *Splen ridere facit, cogit amare iecur.* 6 *Cachinno, onis,* is est, qui solutè & immodicè ridet. Præcipit Seneca, vt risus sit sine cachinnatione, quâ nulla res ineptior, vt ait Catullus. *Si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio.* Cic. Tusc. lib. IV. At nostri Poëtæ illa comparata est natura, vt in sectandis aliorum vitijs, ad risum sit profusior. quæ tamen cachinnatio, inter familiares aliquando locum habet, eóque magis, quum Proditoribus & malæ mentis hominibus, eiusmodi risum emittendi, negata sit facultas.

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod [1] *pulmo* [2] *animæ prælargus anhelet:*
Scilicet hoc populo, [3] *pexúsque* [4] *togáq; recenti,*
Et natalitiâ tandem cum [5] *Sardonyche* [6] *albus,*
Sede leget celsâ, liquido cùm [7] *plasmate guttur*
Mobile colluerit, [8] *patranti fractus ocello.*

1 *Pulmo*, est vnum de visceribus, cuius caro mollis est, leuis & spongiosa, vngulæ bubulæ adsimilis, qui cordi præparat & conficit spiritum, vt eius accessu innatus calor ventilatus, refrigeretur, vitalísque spiritus tanquam pabulo foueatur. Loquitur poëta hoc loco & alibi, vt physicus, qui cum Lacedæmonio medico magnam habuisse consue-

Persius, vt alios cùm poëtas, tum oratores liberiùs reprehendat, in primâ personâ tanquam de se etiam loquitur.

Inclusi scribimus,] .i. nos Romani musæis nostris siue tugurijs inclusi, atque à turbâ remoti, poëmata scribimus & ingenij neruos exercemus, [*ille numeros, hic liber pede,*] .i. ille sc. poëta scribit versus, qui numeris constant: hic, orator nimirum, lege carminis solutus, in prosâ scribit oratione, [*aliquid grande, quod pulmo prælargus animæ anhelet:*] .i. quod pulmo aëris & venti plenus, præ defatigatione anxiè halans, proferat

ferat & pronunciet: [*scilicet pexus & tandem albus togâ recenti, cum Sardonyche natalitiâ leget hæc sede celsâ,*] .i. poëta sc. capillos habens pexos, & tandem togâ candidâ tanquam in die festo exornatus, gerens etiam annulum cum gemmâ primariâ, quam die natali ab amico dono acceperat, hæc suâ lasciua carmina, Populo Romano, in cáthedrâ sublimi recitabit, [*cùm colluerit guttur mobile plasmate liquido,*] .i. cùm priùs bibendo lauerit suum guttur, factum mobilius & flexibilius ad voces formandas, cum liquidâ potione, ex dulcioribus quibusdam rebus compositâ, [*fractus ocello patranti.*] .i. libidinosum corporis habitum præ se ferens, dum impudica legit carmina, oculo lasciuo petulanter solutus.

tudinem legitur.
2 Anima, idem quod ἄνεμος, pro vento hîc ponitur.
3 Pexatus, vel calamistratus. Martial. *Pexatus pulchrè rides mea carmina Zoile.*
4 Togâ nouâ & nitidâ vestitus.
5 *Sardonyx* est gemma pellucida, lapidem Sardium coloris rubei, & Onycha coloris subcandidi repræsentans. obtinet enim vtriusque colorem. *Onyx* gemma, duxit appellationem à similitudine vnguis humani, non solùm propter colorem, sed quia nihil sit in eo rugosum, nihil asperum, omnia verò vt in vngue læuia sunt & polita. 6 Nitidus & comptus, gemmâ ac niueâ veste decorus. 7 Eo (opinor) medicamento vsi sunt illi poëtæ belluli, ne clamore nimio & vocis contentione raucescerent. 8 *Patrare*, παιδοποιεῖν, propriè significat liberis procreandis operam dare. significat etiam, quiduis inceptum ad finem perducere. Eumenius. *Res simul cœpta & patrata est, iunctúsque fuit rebellibus conatus & exitus.*

Heic, neq; more probo videas, neq; voce serenâ
Ingentes [1] *trepidare* [2] *Titos, cùm carmina* [3] *lumbum*
Intrant, & tremulo [4] *scalpuntur vbi intima versu.*

Heic,] .i. in hoc auditorio, vbi talia carmina tanto cum apparatu à poëtâ palàm leguntur [*videns Titos ingentes trepidare, neq; more probo, neq; voce serenâ,*] .i. videre possis magnos & nobiles viros, Romanæ Reip. principes, more improbo & voce tremulâ, libidinē suā cum turpi corporis gestu demonstrare, [*cùm carmina intrant lumbum, & vbi intima scalpuntur versu tremulo.*] .i. quum fœda illa carmina ad lumbū, libidinis sedem, penetrant: & quum interiora viscera titillantur versu obscœno, voce trementi & effœminatâ, à poëtâ pronunciato.

1 Cum gannitu subsilire, & quasi ceuêre.
2 Horatius *Rhamnes* appellat. dicti sunt *Titi*. vel à *Tito Tatio* Sabinorum rege, vel, *Titi*, quasi *tituli*, seu *tutuli*, quòd patriam tuerentur.
3 Renes in lumbis.
4 Sic, vt pruritus excitatur, veluti in amplexu.

Tun'

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas [1] *cute perditus:* [2] *obe!*
Quò didicisse, nisi hoc [3] *fermentum, & quæ semel intus*
Innata est, rupto [4] *iecore exierit* [5] *caprificus?*

Inuehitur Persius in poëtam rancidum, qui in ætate decrepitâ, lasciuorum versuum recitatione laudes quærit & gloriam.

Vetule, tun' colligis escas auriculis alienis?] .i. ô senex delire, tú-ne tuis lasciuis carminibus, materiam atque fomenta libidinis, Auditorum tuorum auriculis tanquam escam colligis? [*auriculis, quibus & dicas perditus cute; ohe!*].i. auriculis (inquã) tuorum Auditorũ delicatulis, quibus tu senio rugosus te excuses, & dicas, [*ohe! quo didicisse? nisi hoc fermentum exierit,*].i ohe! in quem finem prodest poëticen didicisse, nisi hæc vana mea scientia, quæ me, vt fermentum massam panis inflat, in lucem prodierit, [*& caprificus exierit iecore rupto, quæ semel est innata intus?*] .i. & quorsum attinet didicisse carmina pangere, nisi illa intus & in corde penitus comprehensa, foras tandem prorumpant, pectore patefacto, vt indè gloria comparetur?

1 Præ senio, vel multo studij labore, cutem habens deformem.
2 *Obe*, vox est satietatis, vsque ad fastidium, quod & asserit Iuuenal. Satyr. VII. — — *satur est, cùm dicit Horatius, Obe.*
3 Translatio est vel à fermento (Anglicè Leauen) quod suo feruore totam massam inflat, nec in eâ potest contineri: *vel*, ab agris stercore columbino fermentatis, quod humum densam quasi inflat, sicuti vana scientia poëtam scripturientem turgidum reddit & superbum. 4 In quo vulgus animi affectus collocatos credebant. Catachresis est, seu durior Allegoria. *Iecur* pro *corde*. Ita enim magni poëtæ secundùm vulgi opinionem plerumque loquebantur. Iuuenal. *Rumpe miser tensum iecur.* — — quod in inuidum quadrat. 5 *Caprificus*, è syluestri ficus genere, nullo vnquam tempore maturescens, quæ ruptis ferè saxis è muris, solet erumpere, calices tantùm non fructus producens.

En pallor, seniúmque. ô mores! vsque adeóne
[1] *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?*
At pulchrũ est, digito monstrari, & dicier, hic est.
Ten' [2] *cirratorum centum dictata fuisse*
Pro nihilo pendas? ecce inter pocula quærunt
[3] *Romulidæ saturi, quid* [4] *dia poëmata narrent.*

Poëtastrum seipsum excusantem, irridet Persius.

1 Nota, quòd Verbum finitiui modi ponitur pro Substantiuo. *Scire tuum* pro *scientia tua*. sic Virg. *Velle suum cuique est.* — — pro vo-

luntas sua cuique est.
2 *Cirrati*, hoc loco sunt pueri, qui capillos habent intonsos & crispatos. *Coma in pueris est dulcis, reuerenda in senibus, veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus.* Ambros. in VI. Hexam.
3 Romani dicti sunt *Romulidæ*, à Romulo, qui Romam condidit.
4 Poëmata sacra inter pocula non profananda. Sic *dia Catonis sententia*, quod paulò elegantius est, quàm *diuina*.

En pallor, seniúmque.] i. En quàm pallidus senex sis, vide, quale sit tuum senium. q.d. ô vetule, si te nihil aliud à scribendo recitandóq; carmina lasciua impediat, certè illa ætas tua grãdior, & faciei pallor, te alia studia sectari, aliósq; mores amplecti admonerent. [*ô mores! vsq; adeò tuum scire est nihil, nisi alter sciat te scire hoc?*] .i. ô mores corruptos! an scientia tua nihil commodi aut voluptatis tibi adfert, nisi alter sciat, te illâ sapientiâ esse præditum? imò, te extra te non quæras, sed tacitâ conscientiâ viue contentus. Sequitur obiectio poëtastri. *At pulchrum est, monstrari digito, & dicier, hic est.*] .i. at ô Persi, quamuis tu aliorum de me sermones minimè cures, Ego certè pulchrum & præclarum esse puto, prætereuntium digitis monstrari, vt de me dicant, HIC est egregius ille poëta Romanus. quod olim Athenis de Demosthene dixit muliercula aquam ferens alterique insusurrans, οὗτος ἐςὶ Δημοσθένης. Hic est ille Demosthenes. [*pendásne pro nihilo te fuisse dictata centum cirratorum?*] .i. an ducas pro nihilo, te esse poëtam, ex cuius libris pædagogi themata vel documenta desumunt, quæ centum discipulis calamistratis prælegunt & imitanda præbent? Respondet Persius, Romanos cum risu satyrico reprehendens, quòd inter potandum, de poëmatis inquirant & malè iudicent. *Ecce Romulidæ saturi quærunt inter pocula, quid dia poëmata narrent:*] .i. Ecce Romani cibo potúque distenti, in conuiuijs inquirunt, quid diuina poëmata tractent & in se contineant.

1 Homines habent *humeros*, belluæ *armos*. Ouid. *Ex humeris armi fiunt.* ——
2 Læna, Græcè χλαῖνα, est vestis exterior, quæ super alba vestimenta solet indui. Cic. in Tusc. appellat *tegmen*. Anglicè a Cloake.

Heic aliquis, cui circum [1] *humeros hyacinthina* [2] *læna est,*
[3] *Rancidulum quiddam* [4] *balbâ de nare locutus,*
[5] *Phyllidas,* [6] *Hypsiphylas, vatum & plorabile si quid,*
[7] *Eliquat, & tenero* [8] *supplantat verba palato.*
Assensere [9] *viri.* [10] *Nunc non cinis ille poëtæ*
Felix? Nunc leuior [11] *cippus non imprimit ossa?*
Laudant conuiuæ. Nunc non [12] *è manibus illis,*
Nunc non è tumulo, [13] *fortunatáque fauillâ*
Nascentur violæ?——

Heic

Heic si aliquis, cui læna hyacinthina est circum humeros, locutus quiddam rancidulum de nare balbâ, eliquat Phyllidas, Hypsiphylas, & quid plorabile vatum, & supplantat verba palato tenero, omnes viri assensere.] .i. in hoc conuiuio (vbi inquiritur de poëmatibus) si quis nobilium Romanorum vestimento purpureo amictus, [NERONEM fortasse taxat) aliquid fœtidum, auribus insuaue, per nares balbutit, si ineptas recitat fabulas adfectuum & commiserationum plenas (cuiusmodi sunt poëmata de Phyllide & Hypsiphyle facta) & si quid aliud flebile à poëtis compositum, voce liquidâ pronunciat, ac verba sua quasi singultiens tenero frangit palato, eò nimirum vt Auditorum captet beneuolentiam: tunc omnes conuiuæ assentatores huic nobili poëtastro acclamant, atque laudant poëtam, qui opus recitatum composuerat, dicentes, [*Nunc, non cinis ille poëtæ felix?*] .i. an non cineres illius poëtæ (cuius versus recitatos audiuimus) nunc sunt beati? [*non leuior cippus nunc imprimit ossa?*] .i. nón-ne sepulchri lapis leuiùs imprimit ossa tam sancti poëtæ, nunc, quando à tot nobilibus ebriisque conuiuis laudatur? [*nunc non nascentur violæ è manibus illis, nunc non è tumulo fortunatâque fauillâ?*] .i. nónne iure ex illius poëtæ sepulchro enascentur rosæ & flores?

Læna hyacinthina, a purple or scarlet Cloake. 3 Putridum & putidum. Metaph. ducta à carne rancidâ & corruptâ. 4 Emittendo spiritum per nares, balbutire videtur. *Balbus* is est, qui sermonem non articulatè explicat; cuius causa est, aut linguæ breuitas, aut crassities nimia, nonnunquam affluentis humoris copia vel ex humidiore cerebro, vel ex ebrietate, aliquando ex immodicâ siccitate. 5 Poëmata amatoria, quales erant Elegiæ factæ de Phyllide Thraciæ reginâ, quæ Demophoontem Thesei filium adamauit, & thalamo suscepit; à quo cùm se spretam esse crederet, vitam laqueo finiuit, & in arborem Amygdalum sine folijs conuersa est. 6 Infelices amores Hypsiphyles ab Iasone desertæ. 7 Liquidè effert, & verba sua quasi guttatim depromit. 8 Deijcit, & quasi cadere facit. *Supplantare*, est supposito pede aliquem in terram deijcere. vndè pro *decipere* quandoque ponitur, veluti in hoc loco. 9 Conuiuæ adulatorij, nihil minus quàm viri. 10 Ironicè loquitur Persius, significans vanas illas laudationes nihil prodesse mortuo. 11 *Cippus*, Græcè τύμβος, hoc loco signat sepulchri lapidem, cuius onus Ethnici superstitiosi ad mortuos peruenire putârunt. Ouid. *Et sit humus cineri non onerosa tuo.* 12 Ex illius poëtæ tumulo, in quo iuxta veterum opinionem, animæ mortuorum manebant. 13 Ex crematis ossibus illius poëtæ, fortunati nimirum, quia tantis laudibus ab adulatoribus effertur. *Fauilla*, quasi *fouilla*, cinis extinctus, ignem tectum souens, indifferéter pro quouis cinere accipitur.

— — — rides (ait) & nimis [1] uncis
Naribus indulges. an erit, qui velle recuset

1 Naribus rugatis, quod est indicium irrisionis. vn-

[2] *Os*

[2] *Os populi meruiſſe;* & [3] *Cedro digna locutus,*
Linquere: nec [4] *ſcombros metuentia carmina, nec thus?*
Quiſquis es, ó, modò quem ex aduerſo dicere feci,
Non ego, cùm ſcribo, ſi fortè quid aptius exit,
(Quando hæc [5] *rara auis eſt) ſi quid tamen aptius exit,*
Laudari metuam: neque enim mihi [6] *cornea fibra eſt,*
Sed recti finémque, extremúmque eſſe recuſo
[7] Euge *tuum,* & [8] Belle. *nam belle hoc excute totum,*
Quid non intus habet? ---

Poëta ſenex & ridiculus, qui ob recitata poëmata irridetur à Perſio, ait,

Rides & nimis indulges naribus vncis.] .i. O Perſi, tu me & alios poëtas mei ſimiles nimiùm ſubdolè irrides. [*an erit qui recuſet velle meruiſſe os populi?*] .i. an quiſquam hominum inuenietur, qui ſpernat populi applauſum? [*& locutus digna Cedro*] .i. & quum locutus ſit carmina quæ perpetuò ſeruentur [*linquere carmina metuentia nec ſcombros nec thus?*] .i. an erit quiſpiam, qui poſteritati relinquere talia carmina recuſet, quæ promerentur immortalitatem? Reſpondet Perſius. *O, quiſquis es, quem modò feci dicere ex aduerſo,*] .i. ô ſenex delire, quicunque tandem es, quem modò finxi aduerſùs me diſputare, audi me. [*Ego non metuam laudari, quum ſcribo, ſi fortè quid aptius exit, ſi quid tamen aptius exit, quando hæc eſt auis rara:*] .i. ego ipſe quum opus aliquod compono, non fugiam laudes, ſi fortè aliquid boni ſcribo, quandoquidem BONVS poëta eſt rara auis, & rarò contingit, aliquid omnibus numeris abſolutum poſſe fieri in quouis genere: (*neque enim fibra cornea eſt mihi,*] .i. præcordia enim non habeo tam dura aut ſtupida, vt nullâ afficiar voluptate, ſi populus virtutis ergô me laudibus proſequatur, [*ſed recuſo, tuum Euge, & tuum Belle eſſe finem & extremum recti.*] .i. prorſus

dè prouerbium. ——NASO *ſuſpenſus adunco.*
2 Ora virûm. laudem popularem.
3 Quæcunque res Cedri ſucco illinuntur, à tineis & carie ſunt immunes.
4 *Scombros & thus metuere* illa dicuntur carmina, quæ adeò mala ſunt & inſipida, vt ipſæ chartæ, quibus inſcribuntur, metuant, ne ad ſalſamentarios & aromatarios tandem perueniant, ad faciendum integumenta quibus piſces & aromata inuoluta vendantur. *Scombrus,* eſt piſcis marinus, cui in aquis ſulphureus color eſt. extra aquam verò idem eſt color, qui cæteris. Anglicè a Tunie.
5 Alludit ad Phœnicem, quæ ſola eſt in toto Orbe, à purpureo pennarum colore ſic dicta, in Arabiâ naſcens, aquilæ magnitudine, Annis ſexcentis & ſexaginta viuens. quæ cùm ſibi finem vitæ adeſſe

ſus

ſus nego tuas iſtas laudes & voces aſſentatorias *Euge, Bellè, Pulchrè*, finem eſſe vltimum recti .i. virtutis, quæ propter ſe eſt expetenda, non propter aliud. [*nam excute hoc totum belle, quid non habet intus?*] .i. introſpice has adulantium acclamationes, quid non intus in ſe habent ſtultitiæ & vanitatis?

aduertit, facit ſibi thecam de thure & myrrhâ & cæteris odoribus, in quam, repleto vitę ſuæ tempore, intrat & moritur. De cuius carnis humore, vermis exurgit paulatímque adoleſcit, & proceſſu ſtatuti temporis induit alarum remigia, atq; in ſuperioris auis ſpeciem formámque reparatur. Ambroſ. lib. Hexam. 6 *Fibra* dicitur cuiuſlibet rei extremitas, vndè iecoris & cordis (quæ ſunt præcipuæ affectuum ſedes) & cuiuſlibet viſceris extremæ partes, appellantur *fibræ*. Virg. —— *nec fibris requies datur vlla renatis.* quin & minutæ radices arborum herbarúmque dicuntur *fibræ*. Virg. —— *& amaris intyba fibris.* —— *neque enim mihi cornea fibra eſt.* .i. nec cor meum adeò durum eſt, aut vt cornu inſenſibile. 7 Vox eſt approbantis, aliquando etiam inſultantis. 8 Vox blanda eſt & ſæpè ridicula. Mart. *Nil benè cùm facias, facis attamen omnia bellè.*

——non heic eſt Ilias Acci
Ebria [1] veratro, non, ſi qua [2] elegidia [3] crudi
[4] Dictârunt [5] proceres, non quicquid deniq; lectis
Scribitur in [6] citreis. calidum ſcis ponere [7] ſumen,
Scis [8] comitem horridulum tritâ donare lacernâ;
Et verum, inquis, amo: verum mihi dicite, de me.
Qui pote? Vis dicam? nugaris, cum tibi [9] calue,
Pinguis [10] aqualiculus propenſo [11] ſeſquipede exſtet.

Heic non eſt Ilias Acci ebria veratro,] .i. Satyris meis non eſt aliquod turgidum aut inſulſum, propter quod populi adplauſum & falſas expetere vellem laudes, quale eſt opus Accij Labeonis, qui Homeri Iliada de verbo ad verbum tranſtulit, Non eſt, inquam, in opuſculis meis Ilias plena helleboro, quod Accius Labeo ſæpiùs fruſtrà potauerat ad aciem ingenij ſui purgandum, vt meliùs ſcriberet. [*non, eligidia ſi crudi proceres dictârunt aliqua,*] .i. non ſunt in ſcriptis meis carmina molliuſcula & obſcœna, qualia potentiores noſtri Romani crapulâ crudi dictârunt, & inter potandum recitare conſueuerunt, [*denique non quicquid ſcribitur in lectis citreis.*] .i. denique non eſt in opuſculis meis quicquam

1 *Veratrum* ſiue *helleborus*, eſt herba purgatoria, cuius duo ſunt genera, *album*, quod vomitionem ciet, ventrem ſuperiorem purgans: & *nigrum*, quod purgat per inferiora. vtriuſque autem periculoſa eſt ſumptio. Plærique tamen ſtudiorum gratiâ ad peruidendum acriùs, quæ commentabantur, ſæpiùs ſumptitauerunt, vt Carneades Academicus cùm ſcripturus eſſet aduersùs Stoici Zenonis libros.

quicquam carminis adulatorij, quod componitur ab opulentis & nobilibus Romanis, dum sedent in lectis discubitorijs ex citro factis. [*Scis ponere sumen calidum,*] .i. ô vane poëta, tu, vt à parasitis & assentatoribus tuis laudere, nouisti in cœnam eis apponere epulas exquisitissimas, quale est calidum sumen, [*scis donare comitem horridulum lacernâ trita.*] .i. scis etiam asseclam tuum malè vestitum & frigore trementem, veste longo vsu consumptâ donare. Anglicè **a threadbare Cloake.** [*Et inquis, amo verum: dicite verum mihi, de me.*] .i. postquam Auditores cœnis magnificis & largitionibus corrupisti, tum dicis, Ego verum amo: nolo vos mihi adulari, sed de carminibus meis verum dicite, vtrùm sc. elegantia sint & ad amussim composita, an flaccida, languida & insulsa? [*Qui pote?*] .i. quomodò est possibile vt ex his verum audias, quorum iudicium donis reddidisti corruptum & muneribus? [*Vis dicam?*] .i. visne igitur vt ego Persius tibi de tuis carminibus dicam veritatem? certè vnico verbo dicam. [*Nugaris,*] i. ineptias agis, & carmina nullius pretij conscribis. Ratio est. *cùm calue, aqualiculus extet tibi sesquipede propenso.*] .i. quia ô calue & stulte senex, obesum ventris abdomen promineat tibi vno & dimidio pede à pectore propendens.

Huius herbæ antiquitùs plurimus fuit vsus ad leuanda mentis & capitis vitia, Maniam præsertim, vndè variæ sunt locutiones prouerbiales. *Helleborum bibere. Helleborum edere. Helleboro sese purgare. Helleboro opus habere. Anticyram nauigare*, in quâ quidem insulâ, circa Helleborum fluuium, hæc herba copiosè prouenit. Horat. *Expulit helleboro morbum bilemque meraco.* 2 Diminutiuum est ab *Elegiâ*, quo genere carminis, primùm res tristes & lúgubres, pòst etiam lætæ & prosperæ cœperunt describi. Horat. *Versibus impariter iunctis querimonia primùm, Post etiam inclusa est voti sententia compos.* 3 Cruditate laborantes, propter ingluuiem. Horat. ——*crudi tumidique lauemur.* vel, per Metaph. *Crudi*, dici possunt poëtastri, qui perfectam poëtices disciplinam non sapiunt. Anglicè **Raw Poets.** 4 *Dictare*, est dicere & enunciare, quod alius excipiens notat & exscribat. vnde *Dictata.* 5 *Proceres* propriè significant mutulos in ædificijs. .i. capita trabium, Anglicè **Supporters**, hinc per translationem, primores & principes vrbes, dicti sunt *Proceres*, quòd ij in ciuitate emineant sicut mutuli in ædificijs. 6 *Citrus* est arbor nobilissima, quæ in Atlante monte Mauritaniæ nascitur, ex quâ & lecti & mensæ citreæ factæ sunt pretiosissimæ, quæ apud antiquos in summo fuerunt pretio. 7 *Sumen* est genus ferculi ex mammis suillis factum, vno die post partum sectis & salitis. 8 Auditorem conductitium, frigore nimio tremulum instar febricitantis. 9 Perdito eo, qui pilos alat succo, caluities oritur. Gal. lib. xiiii. de Meth. medendi. Capilli aut propter putredinem humorum, à quibus consueuerunt nutriri, aut propter prauitatem corrumpi assolent. Gal. de Compos. med. secundum loca. Persius poëtastrum hunc iocosè appellat *caluum*, Anglicè **a**

bald

hald Poet, cuius venter erat obesus, ille igitur minùs solers, iuxta illud. παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. .i. *subtilem obesus aluus haud mentem parit.* 10 Est diminutiuum ab *aqualico*, quod significat vas è quo porci sorbent. Angl. a Pigges trough. ponitur hoc loco Metaphoricè pro helluone gulæ & crapulæ dedito, cuius aluus est sordium receptaculum. 11 Anglice strouting out a foote and halfe.

O Iane, à tergo quem nulla [1] *ciconia* [2] *pinsit,*
Nec manus auriculas imitata est mobilis [3] *albas,*
Nec [4] *linguæ, quantum sitiat canis* [5] *Apula, tantum.*

O Iane! quem nulla ciconia pinsit à tergo, nec manus mobilis imitata est auriculas albas, nec tantum linguæ, quantum sitiat canis Apula.] .i. ô Deus bifrons, ego te felicem appello, qui cùm oculos habeas in occipitio, nequeas post tergum ab adulatoribus irrideri, quorum mos est, coràm laudare, clàm verò vituperare, atque alios irridere.

1 Hinc apparet, tria olim irrisionis genera in vsu fuisse apud veteres. sc. vel manu Ciconiæ rostrum effingere, digitis in vnum collectis & crepitum facientibus: vel pollices manuum temporibus apponere, ac cæteris digitis crebrò agitatis, asininas aures imitari: vel linguam exerere, quod canes nimiâ siti facere solent Syrio ardente. Hæc tria sannarum genera Magnus ille Hieronimus nullius expers scientiæ, ad Rusticum monachum scribens, ex hoc Poëtâ desumpsisse videtur. *Si subitò respexeris* (inquit) *aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu aures asini agitari, aut æstuantem canis linguam protrahi.* *Ciconia*, Græcè πελαργὸς, auis est notissima, quæ parentes senescentes nutrit, eósque ætate affectos ac alarum remigio destitutos, humeris supportat. vndè *Auis pia* nuncupatur, & mutua beneficij compensatio nominatur ἀντιπελαργία. 2 *Pinsere*, propriè significat pilâ tundere, vel molis frangere. Veteres enim ante molarum vsum, frumenta in pilis pinsebant, vndè *pinsores* olim sunt dicti, quos iam *pistores* appellamus. *Pinsere* autem hic significat metaphoricè, *irridere*, quia sanniones, illum quem deridebant, crebrò quasi rostro ciconio ferire & percutere solebant. 3 Aures asini inuersæ album referunt colorem. per Synechd. igitur dicuntur *albæ*, sicut pópulus dicitur *alba*, cuius folia ex vnâ parte album, ex exterâ viridem habent colorem. 4 Nec tantum linguæ, quantum canis in Apuliâ sitiendo exerit. 5 *Apulia* regio est in Italiâ intensè calida, quam Horat. Epod. III. idcircò appellat *siticulosam*. *Nec tantus vnquam syderum insedit vapor*
Siticulosæ Appuliæ.

Vos ô [1] *patricius sanguis, quos viuere fas est*
[2] *Occipiti cæco,* [3] *posticæ occurrite* [4] *sannæ:*

1 Romulus ad Reipub. curam & administratio-

5 Quis

5 *Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli*
Nunc demum numero fluere, 6 *vt per leue*[7] *seueros*
Effundat iunctura vngues? ———

Persius Apostrophen facit, sermonémque conuertit ad Romulidas, proceres & principes Romanos.

O patricius sanguis, quos fas est viuere occipiti caeco, occurrite sannae posticae:] .i. ô vos Senatorum progenies, quos viuere decet, non vt Ianum, sed vt alios homines sine oculis in occipitio, date operam, ne vos posthac Adulatores post tergum derideant: [*quis sermo est populi?*] .i. quid loquitur populus de meis carminibus? Respondet Assentator Ironicè. *Quis enim, nisi carmina nunc demum fluere molli numero, vt iunctura effundat seueros vngues per leue?*] .i. quis alius sermo de te esset, nisi quòd carmina tua artis & ingenij plena, iam tandem suaui rhythmo & numero sine vllâ fluant asperitate, sic, vt apta verborum connexio excludat prorsus acre iudicium cuiuslibet Censoris?

nem, centum creauit Senatores, qui PATRES dicti sunt, eorúmque filij appellati sunt *Patricij*. vide Liuij x. Decad.
2 A tergo parum videre .i. circumspectos esse.
3 Resistite irrisioni à tergo factae.
4 *Sanna*, est irrisio, quae fit vultu distorto, & labris contractis, cum anteriorum dentium ostentatione. Indè *Sannio*, qui ore, vultu, imitandis moribus, voce & corpore, est ridiculus.
5 Coniunge haec verba cum versu praecedente. sc. ——— *verum mihi dicite, de me.* Redit enim Persius ad colloquium institutum inter diuitem poëtastrum & Adulatorem. 6 Vt minùs asperitatis in tuis carminibus inueniatur, quàm in lapidum iuncturis, quos marmorarij adeò subtiliter coniungunt & leuigant, vt vnguis superductus offendat in ijs neq; rimam, neque quicquam quod hiet vel promineat. *per Leue* .i. per id, quod planum, laeuigatum & expolitum est ab artifice. huc respicit Horatij Adagium. ——— AD *vnguem Factus homo.* ——— 7 Momos, accuratos, Criticos & scrupulorum inuentores intellige.

———*scit tendere versum*
Non secus, ac si oculo [1] *rubricam dirigit* [2] *vno:*
Siue opus in mores,[3] *in luxū, &* [4] *prandia Regū,*
Dicere res grandes nostro dat [5] *Musa Poetae.*

Haec sunt verba populi de te, inquit Assentator.

Scit tendere versum non secus, ac si dirigat rubricam vno oculo:] Ille noster Poëta nobilis benè nouit versum dirigere & scribere sine vllâ aucuritate aut asperitate,

1 Metaph. ducta à fabro lignario, qui rubricâ .i. terrâ rubri coloris, Anglicè a Marking-stone, lineas rectas in lignis formandis dirigit.
2 Vno oculo me-

peritate, non aliter quàm si vno oculo faber lignarius rubricam dirigat: [*siue opus dicere in mores, in luxum, & prandia Regum, Musa dat nostro Poëtæ scribere res grandes.*] .i. siue opus sit dicere in mores & consuetudines vulgi, (i. Comœdiam scribere,) siue in luxum (.i. Satyram scribere,) siue in prandia Regum, (i. Tragœdiam scribere) quæcunque demum materia sit tractanda, par est atque idoneus noster Poëta.

lius quam duobus, quod rectè est iudicamus: quia radij oculi vtriusque non sine perturbatione in idem concidunt. Arist.

3 In homines solutos & effœminatos. 4 Reges in conuiuijs, filiorum membra sibi apposita sæpè incauti comederunt. Alludit ad Tragœdiam de Atreo & Thyeste. 5 Dea Inuentionis. Polymniam fortasse intelligit.

Ecce modò [1] heroas sensus adferre videmus
[2] Nugari solitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus [3] saturū laudare, [4] vbi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa [5] Palilia fœno:
Vnde [6] Rhemus, sulcóque terens [7] dentalia, [8] Quinti,
Cùm trepida ante boues [9] Dictatorem induit vxor,
Et tua aratra domum [10] lictor tulit.——

1 Sensus heroicos, res sublimes. Primitiuum, pro Deriuatiuo.
2 Græcorum aliquando vanitas Romanis auribus fuit indigna.
3 Rus adeò omnibus refertum, vt eorum prouentu dominum cum suâ familiâ pascere possit & saturare.
4 In quos vuas, pyra, poma & eiusmodi conijciebant.
5 Hæc Festa ad lupos arcendos, & morbos à pecore profligandos, pastores in agris celebrabant vndecimo Kal. Maij. quæ poëta idcircò appellat *fumosa*, quòd, cùm celebrarentur, pastores ignem ex fœno & stipulis ex-

Indignatur Persius & excandescit in hos poëtastros, qui laudis cupiditate delirant, & assentationibus occæcati, res magnas vltra ingenij vires tentant, quum ipsa poëtices rudimenta planè ignorant.

Ecce modò videmus afferre sensus heroas solitos nugari Græcè, nec artifices ponere lucum, nec laudare rus saturum,] .i. ecce nunc videmus quosdam poëtas res gestas heroûm describere, qui antè solebant Græcorum nugas tractare, quorum tanta est imperitia, vt neque syluarum amœna describere, neq; rus fructibus abundans pro dignitate laudare valeant, [*vbi corbes, & focus, & porci, & Palilia fumosa fœno:*] .i. in quo rure sunt multa commoda. sc. vasa ex viminibus facta, & locus in quo struitur & seruatur ignis, & omnis generis armenta, & festa PALES pastorum Deæ: [*vndè Rhemus & Quinti terens dentalia sulco,*] .i. ex quo rure Rhemus & Romulus, & tu etiam ô Quinti Cincinnate, agrum more rusticorum colens, [*cùm vxor trepida*

tructum transilirent, indè credentes se expiari.
6 Fratrum alterum pro vtroque posuit. vndè nobilitas Romana orta est & propagata.

pidæ induit Dictatorem ante boues,] .i. in quo tempore vxor tua Racilia metu perculsa (propter rei nouitatem) te, tuo iussu veste Dictatoriâ induit, ante boues quibus iunctis arabas, [*& lictor tulit tua aratra domum.*] .i. & quo tempore etiam, lictor à Senatu missus, aratrum tuum humeris sublatum domum reportauit.

7 *Dentale* est lignea pars aratri, cui vomer inducitur. ponitur hîc pro toto aratro per Synechd. 8 *L. Quintius Cincinnatus* per lictorem vocatus est ab aratro, vt Dictator fieret, qui Minutium Consulem in Algido monte à Samnitibus obsessum quum liberasset, magnam indè gloriam est consecutus: quo negotio intra dies sexdecim confecto, ad rem rusticam rediijt, & in priore permansit paupertate. vide Liu. lib. III. 9 Insignia Dictatoris à Senatu Romano delecti. *Dictator*, Magistratus erat summæ potestatis, ius habens animaduertendi in cuiuscunque ciuis Romani caput, à quo prouocare nemini licebat. Viuâ voce creabatur, non per suffragia, & durabat per sex menses. 10 *Lictores* Consulis ministros primus instituit Romulus, sic dictus à *ligando*, quòd Magistratum præeuntes portarent virgarum fasciculos cum securibus ligatos, eò nimirùm, vt reum primò virgis cæderent, mox securi ferirent. nunc verò per *Lictorem*, intelligimus eum, qui Carnificis fungitur officio. Anglicè **an Executioner or Hang-man.**

1 Ironicâ est laudatio huius poëtastri, qui grandia aggredi non erubescit, cùm poëseos initia explicare non nôrit.
2 Accius, vetus poëta, *Briseus* appellatur .i. *furens*, à cognomine Bacchi Βρισιὸς, ἀπὸ τοῦ βρύειν, quod significat *madefacere*, vel *scaturire*. quia Bacchus ex vuis musta exprimere primus docuit, in cuius clientelâ sunt

——— [1] *euge Poëta:*
Est nunc [2] *Brisei quem* [3] *venosus liber Accî,*
Sunt quos, [4] *Pacuuiúsque, &* [5] *verrucosa moretur*
[6] *Antiopa, ærumnis cor luctificabile* [7] *fulta.*

Persius aliud vitium taxat in poëtis, qui spretis recentibus, antiquos tantùm poëtas affectabant.

Euge Poëta] .i. benè quidem ô Poëta ingeniosissime. bono animo es. ecce tibi aditus ad gloriam patet. [*est nunc, quem venosus liber Accî Brisci moretur:*] .i. est aliquis nostris temporibus, quem liber tumidus furentis Accî delectet. [*sunt quos, Pacuuiúsque, & verrucosa Antiopa moretur,*] .i. sunt alij, quos delectat Pacuuius, eiúsque verrucosa Tragœdia de Antiopâ, [*fulta cor luctificabile ærumnis.*] .i. quæ cor suum miserijs indurauerat, quasi calamitatibus sustentatum.

poetæ tragici & comici: *Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit vrbem, Ritè cliens Bacchi somno gaudentis & vmbrâ.* Horat. 3 Liber turgidus, ac si Accij venæ cùm Tragœdiam scriberet, vino essent inflatæ. 4 Salebrosus Tragœdiarum scriptor, sententijs clarissimus, sed citra nitorem, teste Fabio. 5 Quasi verrucis plena .i. cuius oratio aspera fuit & tumida. *Verruca,* propriè est æditior in monte locus: vndè caruncula rotunda & callosa eminens in cute, sine pruritu, præsertim in palmis & pedibus puerorum, vocatur *verruca,* Græcè ἀκροχορδών, Anglicè **a Warte, or Corne.** 6 *Antiopa,* Nictæi filia, vxor Lyci Thebarum regis, ab Ioue in formâ Satyri compressa, à marito est repudiata, & Dirces operâ in carcerem coniecta, vbi in tenebris clausa, infinitis cruciatibus est vexata. 7 Habens cor fultum .i. longo ærumnarum vsu obfirmatum. Hæc Metaphora satis audax multos torquet Interpretes. nam, *fulcire* est *sustentare:* ærumnæ autem non sustentant, sed potiùs deijciunt. fit tamen aliquando, vt animus miserijs diu assuefactus, ijsdem sese quasi nutriat, fulciat & sustentet. Ouid. —*lacrymæq; per ora cadentes, Sæpè meo fiunt lentus in ore cibus.*

Hos pueris monitus patres infundere [1] *lippos*
Cùm videas, quæris-ne, vndè hæc [2] *sartago loquendi*
Venerit in linguas? vndè istud dedecus, in quo
[3] *Trossulus exultat tibi per* [4] *subsellia* [5] *læuis?*

[*Cùm videas patres lippos infundere hos monitus pueris, quæris-ne vndè hæc sartago loquendi venerit in linguas?*] .i. quum videas parentes cæcos & deliros hæc suis filijs præcepta instillare, sc. Vt veteres poëtas lectitent, eorúmque verbis obsoletis vtantur: mé-ne rogas, vndè hæc nouorum & veterum commixtio in communem hominum sermonem deuenerit? [*vndè istud dedecus, in quo Trossulus læuis exultat tibi per subsellia?*] .i. quærís-ne vndè sit profectum istud infame & fractum loquendi genus, turpitudine plenum, in quo Romani Equites effœminati adeò lætabantur, vt tibi. i. Fabularum actoribus & carminum recitatoribus per subsellia applaudant.

1 *Lippitudo*, est inflammatio tunicæ incumbentis corneæ. Gal. de differ. morb. Senes plerumque lippire solent .i. oculos habere lachrimantes, quum putredo ab his defluat.

2 *Sartago*, est vasculum patens, in quo carnes, pisces, pulmenta, obsonia & id genus alia friguntur. Anglicè **a Frying-panne,** quæ quoniam in frixu reddit stridorem, benè quidem repræsentat confusum & dissonum loquendi strepitum: nempè vbi noua cum veteribus, obsoleta cum vsitatis, Latina cum Græcis ridiculè commiscentur. 3 Equites Romani olim *Trossuli* vocabantur, à *Trossulo* Tusciæ oppido, quod illi sine peditum adiumento expugnârunt. *Trossulus* quasi torosulus, à torosâ sc. carne, hoc loco significat Auditorem in cute curandâ plùs iusto operatum. 4 Sedes minores, in quibus sedent

Auditores poëta recitante. Vel in quibus ab Equitibus spectantur ludi.
5 Adhuc imberbis, glaber vel politus.

Nil-ne pudet, Capiti non posse pericula cano
Pellere? quin [1] *tepidum hoc optes audire? Decenter!*
[2] *Fur es, (ait* [3] *Pedio) Pedius quid? crimina* [4] *rasis*
Librat in [5] *antithetis: doctas posuisse figuras*
Laudatur. ———

Reprehendit Persius Oratores & Rhetores, qui cùm sint decrepiti & senio confecti (quâ quidem ætate prudentiores esse deberent) popularem tamen laudem ita affectant, vt in causis in quibus ipsi de famâ & vitâ periclitantur, necessaria & valida argumenta negligant, & ad verborum fucos sententiarúmque exornationes se conferant.

Nil-ne pudet non posse pellere pericula capiti cano? quin optes audire hoc tepidum? Decenter!] .i. ô senex causidice, nulló-ne afficeris pudore, quòd cùm accusatus sis, haud possis corã Iudice, crimina obiecta, à senili tuo capite propulsare; quin potiùs causam tuam negligens, cupias ab auditoribus tuis audire hanc Adulatoris laudationem, Decenter egisti causam, aut aliquid simile? [*fur es, (ait Pedio)*] .i. aliquis accusator dicit Pedio, ô Pedi, tu es fur: [*quid Pedius?*] .i. quid respondet Pedius, quum se defendet? certè non profert argumenta vera & solida, quibus tantum refellat crimen, sed [*librat crimen in Antithetis rasis: laudatur posuisse doctas figuras.*] .i. crimina sibi obiecta ponderat in politicis figuris, & verbis contrapositis, ac si Pedius accusatus sic responderet, Pedius non est fur, ab alienis semper abstinuit.

1 A tepidis hominibus pronunciatum, Anglicè **spoken by luke-warme Flatterers.**
2 Persius id exemplo probat, quod suprà est locutus. Pedius enim Orator sacrilegij reus, crimen obiectum abs se non remouet, sed ad verborum lenocinia, exornationes & Antitheta decurrit.
3 Non fuit hic *Pedius Publicola*, de quo Horat. Satyr. x lib. I. sed *Pedius Blæsus*, qui sub NERONE motus est Senatu, accusantibus Cyrenensibus, quòd Fanum Æsculapij expilasset, delectúmque militarem pretio & ambitione corrupisset. vide Cor. Tacitum.
4 Elaboratis, magnâ curâ perpolitis. 5 *Antitheton*, Latinè *contra positum*, vel *Contentio*, est figura, quum ex contrarijs rebus Oratio conficitur: cuius apud Rhetores duæ sunt species, altera Verborum, vt, *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.* Ouid. altera Sententiarum, vt, *Qui in sermonibus & conuentu amicorum, verum non dixerit, nunquid eum in Concionibus credas à mendacio temperaturum?* Cic. ad Heren. lib. IV. Hoc Schema O-

rationem

rationem facit non solùm ornatam, sed quadam etiam concinnitate numerosam, vndè σχῆμα σοφιστικὸν dicitur. Per Antitheta, poëta fortassis intelligit Recriminationes, quibus Pedius sua ipsius vitia purgaret, vel quibus furta sua & sacrilegia, quibusdam rebus in Cyrene benè administratis compensaret.

—— bellum hoc. hoc bellum? an [1] Romule [2] ceues?
Men' moueat, quippe, & cantet si [3] naufragus, [4] assem
Protulerim? cantas, cùm fractâ te [5] in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec [6] nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruasse [7] querelâ.

Pedius à suis Auditoribus sic laudatur,

Bellum hoc.] .i. ô Pedi, hoc bellum est & à te pulchrè dictum. quæ verba repetit Persius cum indignatione, dicens [*hoc bellum?*] .i. ô Adulator, hoccine bellum nuncupas, quod dixit Pedius? [*Romule, an ceues?*] .i. ô Romane, adeóne impudens factus es, vt turpia laudes & impostori vano adblandiaris? [*men' moueat?*] .i. quanquam vos, ô Romani (inquit Persius) sitis adeò leues, vt veris rationibus non commoueamini, sed verbis magnificis & figurarum coloribus sitis abducti, quibus isti Oratores elumbes & rabulæ flagitiosi in causis vtantur capitalibus: ego tamen huiusmodi oratione superbâ quidem & tumidâ, non magis flector ad misericordiam, quàm si naufragum, calamitates & infortunia sua depicta in tabellâ circumferentem, cantare audirem. [*quippe, an naufragus moueat me, & protulerim assem, si cantet?*] .i. nunquid me naufragus ad miserationem moueat, an nummum ei dederim, si hilarem gestum præ se ferat? minimè verò, sed potiùs his verbis increparem, [*Cantas, cùm ex humeris portes te pictum in trabe fractâ?*] .i. ô naufrage, num cantas, cùm humero circumgeras naufragium tuum in tabulâ depictum?] *plorabit verum, nec paratum nocte, qui volet incuruasse me querelâ.*] .i. verè & ex animo dolebit, qui me volet inflectere ad opem ei ferendam, nec Orator perdu-

1 Qui *Romulum* nostræ gentis Authorem imitari debeas. est Synech. speciei. *Romulus* pro quouis Romano.

2 *Ceuere*, hoc loco significat inhonesto corporis motu blandiri, instar canis qui clunes agitat, dum domino suo adulatur. Vox est silentio dignâ, quæ ad res venereas translata, saluâ verecundiâ explicari non potest.

3 Mos erat apud veteres, vt naufragi ad paupertatem redacti, tabulam humeris appensam, in quâ calamitates suæ depingebantur, circumferrent, eò nimirum vt tabulam inspicientibus non cogerentur naufragium narrare, cùm stipem emendicarent.

4 *As*, propriè

cet me in suam sententiam, aliquid lamentabile recitando, quod tempore nocturno excogitauit, figuris sc. & verborum fucis exornatum.

Libra dicitur, Græcè μνᾶ, quia pendet vncias x i i. plerunque tamen signat rem vnamquamque solidam & integram. vnde, *Hæres ex asse* dicitur, qui totam hæreditatem ex asse consequutus est. *As*, nummos quatuor Gallicos, seu vnum *marketum* Venetum valet, vt asserit Lambinus super illud Horatij — *ad assem Perdiderat.* — Epist. 1 1. lib. 1 1.. 5 In naue conquassatâ. *vel,per trabem fractam,* poeta intelligit tabulatam à naue abruptam, quam nauta apprehendens, ad terram eius adminiculo saluus enatat. 6 Quod olet lucernam, 7 Querimonijs & lachrymis.

Sed numeris [1] *decor est, & iunctura addita* [2] *crudis.*
Claudere sic versum didicit Berecynthius [3] Atys.
[4] Et qui cæruleum dirimebat [5] Nerea [6] delphin.
[7] Sic [8] costam longo subduximus [9] Apennino.

Obiectio est. Sit ita vt tu dicis (ô Persi) quòd hæc tumidorum verborum ornamenta peragendis causis non competant.

Sed decor est, & iunctura addita numeris crudis.] .i. pulchritudo quædam & suauis structuræ connexio, per has figuras & antiqua verba additur carminibus, quæ alias essent cruda & aspera. Respondet Persius, talia pigmenta & verborum fucos maximas esse ineptias, idque docet exemplo versuum sequentium, quos absurdus quidam poëta suis temporibus sic finire solitus est. [*Atys Berecynthius didicit sic claudere versum, Et delphin, qui dirimebat Nerea cæruleum, Sic subduximus costam longo Apennino.*

Hi tres versus consequentes sunt eiusdem farinæ, nam, quoad materiam sunt singuli molles & affectati: duo autem posteriores sunt fractæ & eneruatæ compositionis.

1 Decor, est pulchritudo formæ, *decentia* morum, *decorum* sermonis, *decus* ornamentum.
2 Versibus incultis & immaturis. fortasse intelligit versus extempore profusos, maturâ meditatione non decoctos. Metaph. ducta à carnibus crudis & malè præparatis. Quintilianus *Crudo* Oratori declamandum non putat.
3 Fuit *Atys* puer Phrygius formâ tantum egregius, quem Berecynthia (.i. Cybele) deorum mater casto sibi amore deuinxerat, eâ lege vt perpetuam seruaret pudicitiam; sed ille vel promissi oblitus, vel libidine victus, Sangaridem

nympham vitiauit, vndè mox Cybeles irâ in furorem conuersus, sibi ipsi cultro lapideo genitalia amputauit. Ouid. *Ah pereant partes quæ nocuere mihi*. Atys autem dictus est *Berecynthius*, à monte Berecynthio, in quo Cybele colebatur. Sæpe igitur *Berecynthia* est appellata. Romani BONAM DEAM appellabant, cuius Sacra, oculis viri, ne imprudentis quidem, aspici fas erat. 4 Est hoc carmen nimis inflatum & audacibus Metaphoris refertum, *cæruleum Nerea*, pro mari & ponto, *dirimebat*, pro natando diuidebat. 5 Deum maris, Oceani & Tethyos filium. 6 Qui Arionem citharœdum optimum à piratis in mare proiectum, dorso accepit & in Laconiam deuexit, 7 Persius in hoc versu, non modò Metaphoras audaces & ineptas, (vt mihi videtur) sed aliud etiam vitium in poëtis suæ ætatis taxat, qui in quintâ sede carminis heroïci Spondæum nimis frequenter collocabant. Notatur in hoc versu Hannibalis historia, qui ex Hispaniâ deuictâ, in Italiam cum toto exercitu penetrauit, quod vt faceret, montem Apenninum igne, sulphure & aceto super infuso, disrupit. vide Herodotum, Gellium, Liuium. 8 Latus montis. Metaph. affectata, à costâ in corpore humano ducta. 9 Mons *Apenninus* ab Alpibus inchoans, in Siculum vsque progreditur fretum, circiter quingenta millia passuum, Italiam mediam quasi dorso diuidens.

Arma virum. nónne hoc [1] *spumosum, & corti-*
ce [2] *pingui,*
Vt ramale vetus prægrandi [3] *subere coctum?*

Insurgit aliquis turgidorum versuum patronus, & Persium interrogat, num illud etiam Virgilij (sc. Arma virum) *vanum, spumosum, aut scabrosum dici debeat? ac si diceret, si hoc in Virgilio non sit vitio dandum, certè neque id superius est reprehendendum.*

Nónne hoc spumosum, & cortice pingui, vt ramale vetus coctum subere prægrandi?] .i. nónne hoc carmen Virgilianum inflatum est tanquam spuma, & pingue vt ramus annosus ab ingenti subere decerptus, & diuturno solis calore exiccatus?

1 *Spumosum* dicitur carmen, quod verbis sonoris compositum, extrinsecus tumescit, intus verò nulla est sensus medulla.
2 Crasso nimiùm sonanti & minùs elaborato.
3 *Suber* arbor est glandifera, vt ilex, perpetuâ comâ virens, cortice crassissimo, quo exuta non arescit vt reliquæ arbores, sed cortex renascitur, cuius vsus plures sunt & varij, præcipuus verò apud sutores calcearios ad crepidas faciendas. Anglicè dicitur, Corke.

Quidnam igitur [1] *tenerum, &* [2] *laxâ ceruice legendum?*

1 Non nimis inflatum, sed humili stylo compositũ.

Torua [3] *Mimalloneis implêrunt cornua* [4] *bombis:*
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
[5] *Baſſaris, &* [6] *Lyncem* [7] *Mænas flexura corymbis,*
[8] *Euion ingeminat:* [9] *reparabilis adſonat Echo.*

Patronus carminum inflatorum, iterum interrogat Perſium. Quando ab omnibus notis talia fiunt carmina, quali tu irrides, tanquam ventis plena, vana ac turgida: dic obſecro, te iudice,

Quidnam igitur tenerum, & legendum laxâ ceruice?] i. quodnam poema minus aſperum eſt, & propterea pronunciandum geſtu elegantiore, ceruice non erectâ? Reſp. Perſius cum irriſione. Hæc quatuor carmina quæ ſequuntur (ſiue à Nerone, ſiue ab alio quopiam nobili Romano compoſita) laxâ ceruice ſunt pronuncianda, in queis verborum grandis eſt ſonus, ſenſus autem nullus, neque mens. [*implêrunt cornua torua bombis Mimalloneis:*] i. ſacerdotes Bacchi tubas terribiles ex cornibus factas ſonitibus inflârunt: [*& Baſſaris ablatura caput raptum Vitulo ſuperbo,*] i. & Agaue Bacchi ſacerdos, cùm auferre vellet caput Pentheo ſuo filio, quem putauit eſſe vitulum, [*& Mænas flexura lyncem corymbis,*] i. & Mænas, furioſa Bacchi ſacerdos, cùm lyncem hederarum vitis flectere vellet [*ingeminat Euion:*] i. ipſa Mænas, ſicut & Baſſaris, Bacchum ſublatâ voce ſæpiùs inclamat: [*Echo reparabilis adſonat.*] i. dea reſonantiæ, voces iterans, vnà ſonat.

Hæc quatuor carmina nihil aliud redolent, niſi verba adfectata, fabuloſam antiquitatem, & inanem verborum oſtentationem, meritò igitur à Perſio reprehenduntur.

2 Solebant ſtolidi carminum recitatores, quum turgidum aliquod & malè affectatum poema pronunciarent, ceruices ſuas in altum erigere. Metaphora eſt ſumpta ab equis, qui laxatis habenis collum gerunt ſubmiſſius. 3 *Mimallones,* Bacchi mulieres, ſic dictæ *vel,* à *Mimâ* monte Ioniæ, vbi ſolennia & certamina quotannis Baccho celebrabantur. *vel,* à μιμεῖσθαι, quòd ad Bacchi imitationem cornua ferrent. 4 *Bombus* propriè ſignificat ſonum quem faciunt apes. 5 Bacchi ſacrificula, ſic dicta à *Baſſaris,* vno ex cognominibus Bacchi, qui veſte indueb atur ad pedes demiſſâ *Baſſari* nominatâ. 6 *Lynx,* eſt fera maculoſa vulgò naſcens in Æthiopiâ, quæ omnium quadrupedum cernit clariſſimè. Lynces & Tigres currum Bacchi trahunt, quorum varijs coloribus, varij vini effectus in hominum mentibus ſignificantur. 7 Furioſa, à μαίνομαι, quod eſt *furere.* Mænades enim dum Bacchi ſacra celebrarent, paſſis capillis furentium more huc illuc curſitabant. 8 *Euion,* nomen Bacchi, qui ſic nominabatur, quod dijs gerentibus bellum cum gigantibus, ille primus in leo-

nem

nem conuersus, gigantem occidit. quo facto Iupiter eum sic laudauit, εὖ υἱὲ .i. *Euge* fili. Horat. Od. 11. lib. 11. —*dissipat Euius Curas edaces*, — 9 Ergo *reparabilis*, quia repetit & reparat hominum voces. Est autem Echo ἀφὴ φωνῆς τῆς ἐσχάτης ληγούσης, Tactio nouissimæ seu postremæ vocis desinentis. Arist. in Problem. Ouid. *Nec prior ipsa loqui didicit reparabilis Echo.*

Hæc fierent, si [1] *testiculi* [2] *vena vlla paterni*
Viueret in nobis? [3] *summâ* [4] *delumbe* [5] *saliuâ*
Hoc natat in labris; & in vdo est [6] *Mænas, & Atys.*
Nec [7] *pluteum cædit, nec* [8] *demorsos sapit vngues.*

Persius sermonem suum continuat, cuius indignatio magis magisque emicat, quòd tam turpia & affectata carmina fierent, ostendens id prouenire ex nimiâ poëtarum incuriâ. Nam si in scribendo maiorem adhiberent curam, tum certè caput scaberent, vngues roderent, & pluteum cæderent: qui quidem gestus sunt hominis irati, cogitabundi, & de mutando solliciti, quum res & verba non succurrant.

Hæc fierent, si vlla vena testiculi paterni viueret in nobis?) .i. taliá-ne carmina, flagitiosa nimirum & indecora, à nobis poëtis fierent, si quid paternæ virtutis in nobis degeneribus superesset? minimè verò. [*hoc delumbe natat in labris summâ saliuâ*;] .i. hoc solutum & eneruе poëma quasi humore scatens, fluit in nostrorum nobilium linguis & labris, [*& Mænas est in vdo & Atys.*] .i. vanæ fabulæ de Mænade & Aty sunt in eorum ore & linguâ. [*Nec cadit pluteum, nec sapit vngues demorsos.*] .i. quod tamen delumbe carmen nec fecit, vt poëta qui illud composuit, pluteum præ irâ pulsaret, neque dum condidit, vngues inter meditandum ad viuum arroderet.

1 *Testiculi*, vel *Testes*, vt quibusdam placet, sic dicti sunt, quòd virilitatis sunt testes. cui parti sensus subtilior tribuitur. Elegans autem est metaph. quamuis obscœna videtur, quâ docet poëta virtutis antiquæ igniculos, aut naturæ melioris semina in multis perijsse.

2 *Vena* nomen sumpsit ab eo, quòd per eam veniat sanguis, corporis nutrimentum. sanguinis autem generandi simul & in omnes partes ferendi gratiâ, factæ sunt venæ. Gal. de vsu partium. lib. 1.

3 Persius vlteriùs indignatur, quòd carmina affectata, rancida & elumbia (qualia superiùs recitauit, sc. *Torua Mimalloneis, &c.*) tam molliter, vuidè, & ineptè pronuncientur, voce nimirum fractâ & effœminatâ. 4 Non habens aliquid lumborum .i. virtutis. In lumbis enim virtus corporis sita est. hinc *delumbe carmen* ponitur pro eneruato, lasciuo & minimè virili. 5 In summâ

saliuâ

saliuâ. i. in extremâ oris parte. *In labris, in vdo*, eiusdem sunt significationis. 6 Ineptum de Baccho & Cybele poëma, in quo Mænas & Atys, qui materiam suppeditant lasciuioris carminis, recitantur. 7 Tabulam quâ vtuntur ij, qui libris dant operam & scribunt. *vel*, Armarium in quo libri reponuntur. Anglicè a Deske, quod poëta cogitabundus præ indignatione percutit, si quid pro voto non suggerit animus. 8 Horat. Satyr. x. lib. 1. —— *& in versu faciendo, Sæpe caput scaberet & viuos roderet vngues.* Gestus sunt hominum in altissimâ cogitatione defixorum, eorúmque maximè, qui summam curam in scribendo ponunt. verum poëtæ nostræ tempestatis (inquit Persius) nullo labore adhibito, omnia negligenter in lucem proferunt, quapropter à Satyris scribendis non possum abstinere.

Sed quid opus teneras [1] *mordaci* [2] *radere vero*
Auriculas? [3] *vide sis, ne maiorum* [4] *tibi fortè*
[5] *Limina frigescant; sonat heic de nare* [6] *canina*
Litera. ——

1 Veritas malos & sceleftos mordet & lancinat, odiosa est igitur & ingrata, iuxta illud Terentij. *Obsequium amicos, veritas odium parit.*

2 Metaph. à chirurgis ducta, qui vulnera putrida solent radere & cultro resecare.

3 Vide si vis. (de) in *vide* corripitur ab antiquo verbo *vido, is*, tertiæ coniugationis, cuius compositum *diuido* est adhuc in vsu. *sis*, pro, si vis. Sic Comici loquuntur sæpius. *sultis*, pro, si vultis. *sodes*, pro, si audes. *capsis*, pro, cape si vis, &c. 4 In tuum damnum vel perniciem. 5 *Limen* dicitur, quod ex transuerso in ianua est. Anglicè a Threshold. Pars pro toto. Limina in hoc loco significant amicitias seu familiaritates. Iuuenal. *Limine submoueor*, ——.i. repellor ab amicitiâ. *Vel*, quod veresimilius est, Persius respexit ad illud Horatij. lib. 11. Satyr. 1 1. — *ó puer, vt sis Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus Frigore te feriat.* —— .i. ne quis apud potentiores mortem tibi inferat, quæ frigidos efficit. Ita, sensus erit, *Caue, ne capitis discrimen tibi immineat.* 6 R. litera est canina, quam canis irritata dentibus restrictis imitatur & exprimit. Lucil. *Irritata canis, quod homo, quamplurima dicat* i. R. R.

Obiectio est. [*Sed quid opus radere auriculas vero mordaci?*] .i. Sed ó Persi, quamuis hæc ita sint vt tu dicis, dic obsecro, quæ te cogit necessitas, vt veritate ingratâ, delicatulas Aulicorum & Nobilium aures offendas? [*vide sis, ne fortè limina maiorum frigescant tibi,*] .i. caue tibi & vide quid agas, ne fortè ædes potentiorum virorum (quos Satyricâ tuâ mordacitate irritas, haud amplius tibi pateant, [*hic litera sonat de nare canina,*] .i. in istis tuis carminibus, mordax & conuitiosa oratio, instar canis rabidi vnumquemque mordet & lacerat.

Per

—per me equidem ſint omnia protinus [1] *alba,*
Nil moror, [2] *Euge, omnes, omnes benè miræ eritis res.*
[3] *Hoc iuuat, heic, inquis, veto quiſquam faxit* [4] *oletum.*
Pinge duos [5] *angues: pueri,* [6] *ſacer eſt locus; extra*
Meyite. diſcedo.—

Reſpondet Perſius. Si ſic ſeſe res habet, vt turpiſſima Romanorum vitia ſine periculo reprehendere non liceat.

Equidem moror nil,] i. ego quidem nihil impedio, quin [*per me omnia ſint alba protinus,*] .i. omnia eorum facinora, ſcripta & dicta, quantum ad me attinet, ſint deinceps bona, ſerena, candida, ego verò in neminem quamuis flagitioſum inuehar, ego nihil meis ſcriptis reprehendam. [*Euge, res omnes, omnes eritis benè miræ.*] .i. ô res Romanorum, vos omnes, omnes (inquam) egregiæ eritis, admirabiles & laudandæ. [*hoc iuuat,*] .i. ô poëta nobilis & diues, hæc mea oratio te delectat, ſc. vt nemo reprehendatur, [*hic, inquis, veto quiſquam faxit oletum.*] .i. tu dicis, in poëmate meo prohibeo, vt quiſquam faciat reprehenſionis maculam. [*pinge duos angues:*] .i. ſi verſus tui (inquit Perſius) adeò ſint diuini, & mores tui adeò incorrupti, vt eos reprehendere oportet neminem; adpone ad carmina tua aliquod ſignum, quo perſpecto, moneat nullâ mordacitate verſus tuos inſectari, atque inſuper hoc adde Interdictum, [*pueri, locus eſt ſacer, meiyte extra,*] .i. ô pueri, hic locus eſt religioſus, & Dijs deſtinatus, cauete hunc locum polluatis, quapropter extra eum mingite, [*diſcedo.*] .i. ab hoc loco venerabili procul abeo, ne eum contaminem.

1 *Album*, per Metaph. ponitur pro bono, ſicut è contrario, *nigrum* pro malo. Iuuenal. — *momeant qui nigrum in candida vertunt.*
2 Eſt interiectio aſſentientis & ſibi ſuâ ſponte congratulantis, quòd tale conſilium reperit de Satyrâ non ſcribendâ.
3 Hoc melli eſt.
4 *Oletum*, ſignificat locum fœtidum & malè olentem, in quo ſæpiùs mingitur. Anglicè a pissing-place. quod ex ipſo Perſio hic colligi poteſt, quum ſubiunxerit, *extra meiyte*, non ventrem exonerate. Hoc loco, *Oletum* Allegoricè ſignat Satyræ graueolentiam atque acrimoniam. Eſt etiam *oletum* ſtercus humanum. Verranius. *Sacerdotula in ſacrario fecit oletum*. Denique *oletum* eſt idem quod oliuetum. ab oleâ. Cato de Re ruſt. cap. 1.
5 Veteres vbi oletum fieri nolebant, Ibi duos angues vel dracones tanquam loci Genium depingebant, vt pueri eorum picturâ perterriti in illo loco non mingerent. Putârunt antiqui, omnem locum ſuum habere Genium, qui per anguem oſtenditur. vndè Virg. v. Æneid. ſic loquitur de ſerpente, qui è tumulo Anchiſe exierat. *Incertus, geniúmue loci, famulúm-ue parentis Eſſe putet.* — —
6 *Sacer*, idem quod venerabile,

bile. Virg. *Extulit os sacrum cœlo.* — — Sumitur nonnunquam pro execrando & scelesto. Virg. *Auri sacra fames.* — — Horat. Epod. VII. *Sacer nepotibus cruor.* i. perniciosus, execrandus. Aul. Gell. *Lex duodecim tabularum est, patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto* .i. execrabilis. Hinc omnis homo malus & improbus, *sacer* appellari solet. Horat. Satyr. III. lib. II. — — *intestabilis & sacer esto.*

——— *secuit* [1] *Lucilius Vrbem,*
Te [2] *Lupe, te Muti, &* [3] *genuinum* [4] *fregit in illis:*
Omne [5] *vafer vitium ridenti Flaccus amico*
Tangit, & admissus circum [6] *præcordia, ludit,*
Callidus [7] *excusso populum suspendere naso.*

Cum Lucilius & Horatius Satyrographi suis salibus & verborum acrimonia, principes Ciuitatis impunè lacerauerunt, cur mihi (inquit Persius) *non licebit prauos hominum mores leuiter tangere?*

Lucilius secuit vrbem,] .i. Lucilius totam Romam quasi gladio lancinauit, [*Lupe te, Muti te,*] .i. ô Lupe, helluo improbe, Lucilius acri suo carmine te inprimis perstrinxit, & te quoque ô Muti Albuti, [*& fregit genuinum in illis:*] .i. & in illorum morsu & reprehensione fregit dentem intimum: Identidem [*Flaccus vafer tangit omne vitium amico ridenti,*] .i. Q. Horatius Flaccus versutus & callidus, omnia amicorum, etiam Mæcenatis sui, vitia notat, quasi iocos agens, eum in modum, vt amici rideant, non indignentur, [*& admissus ludit circum præcordia,*] .i. & semel receptus atque auditus, interiora animi vitia, quasi ludibundus reprehendit. [*callidus suspendere populum,*] .i. gnarus & ingeniosus artifex, populum deridere, [*naso excusso.*] .i. naso non rugoso, sed exporrecto, vt populus irrideri vix sentiat.

1 *Lucilius* poëta inter Latinos, primus promeruit Satyrarum laudem, qui mirâ carminis acerbitate, multos præpotentes & populi primores nominatim insectatus est. ——*sale multo Vrbem defricuit.*— inquit Horat. Satyr. 10. lib. 1. .i. salsè & mordaciter Ciuitatem Romanorum vitia notauit. Anno ætatis suæ XLVI. apud Neapolin vitam cum morte commutauit, & publico funere elatus est.
2 *Lupum, Albutium & Metellum* viros nobilissimos & Reipub. Romanæ proceres, infames tamen & vitijs coopertos, Lucilius Satyricâ mordacitate arripuit. vide Horat. Satyr. 1. lib. II. 3 Dentium alij sunt Anteriores suprà & infrà quatuor numero, qui τόμιοι à Græcis, à nostris Incisores appellantur. alij his proximi vtrinque, qui κυνόδοντες Canini seu Fractorij vocantur. alij appellantur γόμφιοι. i. Molares. postremi omnium sunt Genuini, seu σωφρονιστῆρες, quos Auicenna Dentes sensus siue intellectus nuncupat, nam, circiter an-

num vigesimum multis etiam octogesimum innascuntur. Dicti sunt *genuini*, quòd à genis pendeant. 4 Comminuit instar canis ossa molentis. 5 Quasi valdè Afer, *Afri* enim callidi & astuti semper sunt habiti. 6 *Præcordia* sunt membranæ, quæ exta separant ab inferiore viscerum parte, sic dicta, quia cordi prætenduntur. A medicis appellantur Hypocondria, à Græcis φρένες, quæ existimantur esse mentis sedes. sic Arist. lib. III. de partibus Animalium. φρένες καλοῦνται ὡς μετέχουσαι τι τῆς φρονεῖν. *Præcordia vocantur quasi participia prudentiæ.* 7 *Excusso naso suspendere*, est tectè & subdolè irridere. nam, qui sic irrident, non crispant nares, neque in sannum corrugant, sed nasum excutiunt ac porrigunt, ac si nihil tale agerent.

Men' [1] mutire nefas, nec clam, nec cum [2] scobe nusquam?
Heic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas [3] asini quis non habet? Hoc ego apertum,
[4] Hoc ridere meum tam nil, nullâ tibi vendo
[5] Iliade. ——

Cùm Lucilius & Horatius tantâ cum libertate in Romanos nobilissimos apertè & nominatim sint inuecti, idq́ impunè,

Nefas-ne me mutire] .i. an mihi non licebit aliquid hiscere & immurmurare? [*nec clam, nec cum scobe?*] .i. neque tectè, neque more tonsoris Midæ, qui humo effossâ Domini aures à se visas quasi suggillat. [*nusquam?*] .i. quid? neque palàm neque clam Romanorum stultitiam reprehendere mihi fas est? *Tamen hic infodiam.*] .i. ego tamen Midæ tonsorem imitabor, atque huic libello tanquam scobi insusurrabo Romanorum vitia & vanitates. [*libelle, vidi, ipse vidi:*] .i. heus tu ô mi libelle, ego ipse vidi, vidi (inquam) & in libello meo scripsi, [*Quis non habet auriculas asini?*] .i. Ego vidi & quotidiè video, omnes Romanos tam nobiles quàm ignobiles Asininas habere aures. i. iudicio corruptos esse tanquam asinos. [*hoc opertum,*] .i. hoc secretum (inquit Persius) meo libro insertum, quod Romæ lectorem vix inueniet, [*hoc meum ridere*] .i. has meas Satyras cum cachinno legendas [*tam nil,*] .i. tam parui pretij apud

1 *Mutire*, est quasi signum mutum facere, siue leni voce aliquid imperfectè loqui. Terent. in Andr. *Itaque herclè nihil iam mutire audeo.* i. ne verbum sonare.
2 Alludit ad Midæ fabulam, cuius tonsor, cùm reticere non posset quod viderat, neque diuulgare auderet, scrobi insusurrauit, & dixit, *Auriculas asini Midas rex habet.* vide Ouid. metamor. lib.
3 *Asini aures* dicuntur habere, qui hebetes sunt & tardi ad intelligendum quæ audiuerint, déque auditis rectè iudicare nesciunt, veluti Midas rex Phrygiæ, qui in

apud Romanos, *vendo tibi nullâ Iliade.*] .i. tibi vendam aut permutabo, non vllius Iliadis pretio, sed pluris æstimo quàm omnia aliorum poëmata & seruiles assentationes.

certamine de cantu inter Apollinem & Pana Arbiter electus, vter alterum antecelleret, Pana Apollini stultè prætulit, quapropter Apollo iratus asininas aures illi affixit. 4 Est Hellenismus. *hoc ridere*.i. hunc risum meum. 5 *Ilias* propriè significat Homeri opus clarissimum, sic dicta ab *Ilio* vrbe, quam Ilus Trois filius, in Troade à suo nomine condidit. Hìc verò ponitur pro Accî Labeonis Iliade.

—— Audaci quicunque afflate [1] *Cratino,*
Iratum [2] *Eupolidē* [3] *prægrandi cum sene* [4] *palles,*
Aspice & hæc, si fortè aliquid [5] *decoctius audis;*
Indè [6] *vaporatâ lector mihi ferueat aure.*

Iam docet Persius quos volet esse Satyrarum suarum lectores, nempe non Adulatores, non quosuis ex imperitâ multitudine, sed doctos viros, qui veteres Satyricos diligentissimè lectitârunt.

Quicunque afflate Cratino audaci palles Eupolidem iratum, cum sene prægrandi,] .i. ô quicunque afflatus & audacis Cratini scriptis imbutus, ad pallorem vsque legis Eupolidem Græcorum vitijs iratum, vnâ cum Aristophane Comico valdè sene, [*aspice & hæc,*] .i. aspice & lege has meas Satyras, [*si fortè audis aliquid decoctius,*] .i. si fortè in illis aliquid perfectius aut minùs crudum deprehendis, [*indè*] .i. ex eo quòd Satyræ meæ sint maturæ & longo studio elaboratæ [*lector ferueat mihi aure vaporatâ.*] .i. volo vt diligens lector, aure purgatâ & præparatâ cúmque animi feruore, scripta mea legat.

1 *Cratinus Atheniensis*, Callimedis filius, poëta Comicus & philosophus Epicureus, vixit cum Platone Olymp. circiter LXXXI. teste Eusebio, Annos natus obijt. XCVII. quem Persius *audacem* appellat, propterea quòd nihil timens, mirâ audacitate Atheniensium vitia carpserit. *Cratinus, Eupoles* & *Aristophanes*, tres fuere præcipui Comœdiæ veteris scriptores, quorum vno versu meminit Horat. Satyr. IV. lib. I. *Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanésque poëtæ.* 2 Vixit *Eupolis* Cratino posterior, cuius in stylo fuit æmulus. Euseb. in Chron. de quo etiam M. Tullius Epist, ad Atticum lib. VI. Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας *quis non dixit ab Alcibiade nauigante in Siciliam, deiectum esse in mare?* Hunc Persius *iratum* vocat, quia vitijs & flagitijs vehementer fuit infensus. 3 Aristophanem intelligit, comicum facetissimum, qui Satyras summâ cum libertate etiam valdè senex scripsit; *prægrandem* verò appellat, *vel*, quòd esset ætate

gran-

grandis, *vel*, propter ſtyli ſublimitatem & magnificentiam. 4 In legendo & imitando illos duos ſcriptores, factus es pallidus & macilentus. 5 Perfectius, ſuauius. contrarium eſt ei quod ſuprà dixit, *numeris crudis*. In quâ dictione eſt figura elegans, *vel*, à carnibus igne elixis, *vel*, vt placet Autumno, à medicis deducta, qui multum liquoris bulliendo, faciunt, vt res decocta ad medias, tertias, vel quartas partes redacta, plus virium habeat 6 Aure meorum poëmatum vapore & calore tepefactâ. Anglicè an Eare warmed with the vapours of my Satyrs well digested and prepared.

Non hic, qui in [1] *crepidas Graiorum ludere gestit,*
[2] *Sordidus, & luſco qui poſſit dicere,* [3] *Luſce;*
Seſe aliquem [4] *credens, Italo quod honore* [5] *ſupinus*
Fregerit [6] *Heminas* [7] *Areti* [8] *Ædilis iniquas.*

Perſius vt ſuprà, oſtendit quos deſiderat lectores, ſic dicere iam pergit, quos reſpuat & recuſet.

Non hic, qui geſtit ludere in crepidas Graiorum,] .i. nolo, vt is ſit meorum ſcriptorum lector, qui Græcos philoſophos cupit irridere, propter externum habitum & calciamenta quibus vtuntur, literas verò & philoſophiam ipſam omninò contemnit, [*ſordidus, & qui poſſit dicere luſco, luſce*] .i. & qui quidem exiſtens ſordidus & impurus, poſſit naturæ vitia luſco obiectare, dicens cum exprobratione; ô Luſce, [*& credens ſeſe aliquem,*] .i. & credens ſeſe virum eſſe magni pretij, [*quòd ſupinus Italo honore, Ædilis fregerit Areti Heminas iniquas.*] .i. propterea quòd Italicâ dignitate elatus, cùm aliquando eſſet Ædilis, fictilia & menſuras non iuſtas fregerit Areti, in Thuſciæ ciuitate.

1 *Crepida*, teſte Seruio, fuit calciamentum Thuſcum, quod corrigijs ad pedes ligabatur. nomen ſumpſit à ſono, quem ambulando reddit. per *crepidarum irriſores*, Perſius taxat eos, qui cùm aliorum vitam & verba nequeant reprehendere, externum habitum irrident, & in eo anſam calumniarum quærunt. 2 Sordidus exiſtens.i. vitioſus & turpis. Metaph. ſumpta à corpore ad animum. 3 *Luſcus* eſt, qui propinqua diſcernit, diſtantia haudquaquam videt. 4 Aliquantulùm ſuperbiens. Angl. ſomwhat proud on a meane or baſe office.. 5 *Supinus* propriè ſignificat eum, qui iacet ſuper dorſum, vultu cœlum ſpectans. ponitur nonnunquam pro otioſo, qui ſupinus iacet & molliter viuit. quandoque ſignificat montoſum & elatum. Horat. Od. 1 v. lib. 1 1 1. ——*ſeu Tibur ſupinum, Seu liquidæ placuere Baiæ.* In hoc loco, hominem denotat ſuperbum, & ſecundâ fortunâ quaſi ebrium ex Ædilitatis munere, quo functus eſt in municipio Italiæ. 6 *Hemina*, eſt menſuræ genus, dimidium

dium Sextarij continens. Anglicè a pottle. Græc. 7 *Aretium*, oppidum Thusciæ, fictilibus certæ cuiusdam mensuræ celebre. 8 *Ædiles minimi* Magistratus Rom. erant, sic dicti, quòd ædes sacras procurarent: ad quorum etiam officium pertinuit, mensuras & vasa non iusti ponderis, corrigere & frangere. Iuuenal. Satyr. 10.

Habemus nos in Angliâ eiusmodi Magistratum,

Et de mensuris ius dicere, vasa minora
Frangere, pannosus vacuis Ædilis Vlubris.

quem vulgò appellamus *Clericum mercatus*. Anglicè Clerke of the market.

1 *Abacus*, inter alia significata, est tabula, in quâ Calculatores numeros & figuras delineant.
2 Geometras intelligit, qui varias formas & figuras radio describere consueuerunt in puluere, quem Persius *sectum* appellat, quia illis figuris secatur & sulcatur puluis. Id enim in puluere factum est, vt si non iusta sit commensuratio, deleri possit.
3 Meretrix procax & diabolaris, sic dicta, quòd in Lupanari post horam nonam prostaret, cùm antè homines in negotijs occupati essent. *Vel*, meretrix, *Nonaria* nominatur, (quasi infœlix & dam-

Nec qui [1] *abaco numeros, & secto in puluere* [2] *metas*
Scit risisse vafer, multùm gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans [3] *Nonaria* [4] *vellat.*
His manè [5] *edictum, post prandia* [6] *Callirhoën do.*

Nec ad meas Satyras legendas veniat ille,

Qui vafer scit risisse numeros abaco,] .i. qui in hoc tantum est ingeniosus, vt ridere nouerit Arithmeticos, ob numeros quos abaco inscribunt, [*aut metas in puluere secto,*] .i. aut qui scit irridere Geometras ob figuras, quas lineis tanquam quibusdam metis, circumscribunt & depingunt in puluere, virgâ Geometricâ secto ac diuiso, [*paratus gaudere multùm, si petulans Nonaria vellat barbam Cynico.*] .i. qui ex nullâ re honestâ voluptatem capit, sed promptus est cachinnum tollere, si meretrix lasciua & impudens Philosopho alicui barbam vellicet, eúmque populo deridendum propinet. [*Do his manè edictum,*] .i. his nugatoribus, qui iocos tantùm & scômata callet, suadeo vt à Satyris meis procul facessant: his (inquam) concedo, vt tempore matutino forum frequentent, Prætoris edictum excutiant, Iuris administrationem audiant & discant, [*Post prandia Callirhoën do.*] .i. post prandium verò, quoniam virtutem contemnunt, nec emendari volunt, concedo his nebulonibus, vt insignem illam meretricem *Callirhoën* adeant, vt ad fontes amænos deambulent, ludos scænicos visitent, atque alijs corporis voluptatibus indulgeant.

nosa

nosa iuuenibus, quos expilat & ad perniciem perducit) à *Nonis*, quæ inter dies atros & infaustos ab antiquis numerantur. 4 Solebant Philosophi, vt seueriores ac tristiores essent aspectu, barbam prolixam & ad pubem vsque dimissam gestare. *Barbam* autem *philosopho vellere*, est, philosophum ludibrio exponere. Horat. de Damasippo Cynico. — — *vellunt tibi barbam Lasciui pueri.* 5 *Edicere*, est iubere, pronunciare, decernere. propriè verò est magistratuum, vndè Consulum, Prætorum & Ædilium literæ quibus aliquid imperatur, dicuntur *Edicta*. 6 *Callirhoë, vel*, est nomen proprium famosi scorti, & ponitur pro quauis meretrice. *vel, quoniam Callirhoë* fons erat apud Athenas, poëta fortasse intelligit Natationem post prandium. Quiduis horum dicas, non magni refert, dummodò intelligas, hos bonorum irrisores, vel ob culpam, vel ob æs alienum, vel animi causâ Prætoris edictis intendere, post prandium verò voluptatibus inseruire.



SATYRA SECVNDA.

ARGVMENTVM.

Persius ad Plotium Macrinum amicum suum, virum optimum & integerrimum diem natalem celebrantem scripsit hanc satyram, bonis certè præceptis refertam, quæ tota est (vt benè notat Clauerius*) quasi veræ pietatis index, nihilque ferè ethnici redolet. Inuehitur in populum Ro. quòd stultis precibus & hostijs sumptuosis, crederent se inhonesta & flagitiosa impetrare potuisse à dijs, qui non auro sed pia voluntate & corde sincero gaudent.*

HVnc, Macrine, diem numera [1] *meliore lapillo,*
Qui tibi [2] *labentes apponit candidus annos.*
Funde [3] *merum* [4] *Genio. non tu prece poscis* [5] *emaci,*
Quæ nisi [6] *seductis nequeas committere diuis.*

1 *Candido lapillo.* Thracum fuit hæc consuetudo (teste Plinio lib. VII. cap. XL.) vt dies faustos albo, infelices *nigro* signarent. à quibus illa dierum notatio ad Cretenses defluxit. Vide Horat. Ode XXXVI. lib. I. *Cressâ ne careat pulchra dies notâ.* .i. notetur hic dies candidâ notâ, vt verè felix & faustus.

2 Velociter cur-

Macrine, numera hunc diem meliore lapillo,].i. O Macrine, recense hunc diem natiuitatis tuæ inter dies vitæ tuæ felices & fortunatos, [*qui candidus apponit tibi annos labentes.*] .i. qui cùm sit dies lætus & felix, addit & apponit vitæ tuæ alios annos fugaces & tacitè prætereuntes. [*Funde merum Genio.*] .i. Sacrifica & vinum offer Genio tuo, eúmque sic placa vt diem tibi hunc quàm sæpissimè reducat .i. vt diu viuas. [*tu non poscis prece emaci, quæ nequeas committere diuis nisi seductis.*] .i. cùm plerique ob sua munera & victimas opimas, iniusta & voluptuosa à dijs sibi exigant,

gant,

gant, quasi dij perindè ac mortales, muneribus vellent corrumpi: tu, ô Macrine, non ita à dijs vlla petis, quæ adeò turpia sunt & inhonesta, vt non possis ea insusurrare dijs, nisi iam antè dono corruptis, & in secretum quasi locum seductis à turbâ.

rentes Horat. Ode XIIII. lib. II. *Eheu fugaces Posthume Posthume, Labuntur anni.*

3 *Merum* substantiuum, ponitur pro vino solo & puro, non mixto. 4 *Genius* deus est, in cuius tutelâ, vt quisque natus est, viuit. à *gignendo* sic appellatus, siue quòd gignatur nobiscum, siue quòd genitos suscipiat ac tueatur. Horat. Epist. II. lib. II. *Scit Genius, natale comes qui temperat astrum* .i. qui quidē *Genius* comes nobis adiunctus, sidus natalitiū quod ὡρόσκοπον nominant, regit ac moderatur. Quapropter natali die colebatur, & *Deus Natalis* appellabatur. *Genio indulget*, qui lautè viuit: *Genium defraudat*, qui viuit parcè & à voluptate cessat. 5 Prece, quâ, veluti quadam mercede, emas quod precaris .i. prece, cui aliquod munus adiungitur. 6 Corruptis, & à populo in secretiorem locum ductis, vt turpissimorum votorum nulli possint esse testes & arbitri. Hoc non fecit Macrinus, cuius preces ab animo puro proficiscentes, apud deos valebant sine hostiâ sumptuosâ.

At bona pars procerum [1] *tacitâ libabit* [2] *acerrâ,*
Haud cuiuis [3] *promptum est,* [4] *murmúrque humilésque susurros*
Tollere de templis, [5] & *aperto viuere voto,*
[6] *Mens bona,* [7] *fama,* [8] *fides, hæc clarè,* & *vt audiat* [9] *hospes.*

At bona pars procerum libabit tacitâ acerrâ.] .i. Sed magna pars nobilium Romanorum sacrificabit thus ex acerrâ tacitâ. (hoc est) ipsi proceres inter sacrificandum sunt taciti, & submissâ voce Deos orant, ne impiæ & nefariæ eorum preces à circumstantibus exaudiantur. [*Haud promptum est cuiuis, tollere de templis murmúrque humilésque susurros,* & *viuere aperto voto.*] .i. Cùm omnes ferè sint impij, & vota faciunt turpia; sanè haud facile est cuiuis, imò paucis est concessum, è suis votis in templis factis, eximere secretas precationes, quasi à susurrante prolatas, & iustas preces tam clarâ voce ad deos proferre, vt omnes audiant. [*Mens bona, fama, fides, hæc clarè,* & *vt hospes audiat.*] .i. ô dij, vos oro, vt mens bona, fama, fides sint mihi, Hæc clarè petuntur atque altâ voce pronunciantur, ita, vt quiuis astans atque omnis etiam hospes præteriens, audire possit.

1 Voto tacitè & submissâ voce facto, adiunctum pro subiecto.
2 *Acerra*, est arcula in qua thus reponi solet ad suaues suffitus excitandos, à Græcis θυμιαματήριον, à Latinis alio nomine *Thuribulum* nuncupata.
3 Homines prauis moribus assuefacti, haud facilè corriguntur.
4 Impias preces, quas nolunt circumstantes audire.
5 Ita viuere vt vota sint omnibus nota & aperta. Seneca. *Sic viue*

cum hominibus, tanquam deus videat; sic loquere cum deo tanquam homines audiant. 6 Bonam mentem fama integra & fides sincera, vt vmbra corpus sequuntur. 7 Bonum nomen *multæ diuitiæ.* Prou. *Qui famam suam negligit* (inquit Apostolus) *homicida sui est.* 8 *Homo bonæ fidei* vocatur, cui res tutò creditur, vel qui rem sibi creditam fideliter seruat. 9 *Hospes*, secundum Priscianum, dictus est quòd ostium nostrum petat, *vel*, quòd ore (.i. osculo) adueniens nos petat. *Hospes* autem dicitur & qui recipit & qui recipitur. Ouid. 1. Met. — — *Non hospes ab hospite tutus.* Cic. *Per dextram istam quam hospes hospiti porrexisti.*

Illa [1] *sibi introrsùm, & sub linguâ* [2] *immurmurat: ô-si*
[3] *Ebullet patrui* [4] *præclarum funus! & ô-si*
Sub rastro crepat argenti mihi [5] *seria, dextro*
[6] *Hercule! pupillùm-ue vtinam, quem proximus hæres*
[7] *Impello,* [8] *expungam: namque est* [9] *scabiosus, & acri*
[10] *Bile tumet.* [11] *Nerio iam tertia* [12] *ducitur vxor.*

Enumerat Persius impia Romanorum vota, quæ secum & introrsùm muscitabant, Taxat autem præcipuè eorum auaritiam & nefariam pecuniæ cupiditatem.

Illa immurmurat sibi introrsùm & sub linguâ.] .i. Mala & perniciosa vota quæ sequuntur, pronunciat intra se tacitè vt nemo audiat, & inter dentes mutit, sic, vt non extra os prodire videantur. [*O-si præclarum funus patrui ebullet!*] .i. ô vtinam sumptuosum funus patrui mei foras propediem efferatur, vt indè amplissimum eius patrimonium ipse possideam, [& *ô-si seria argenti crepet mihi sub rastro!*] .i. & vtinam inter arandum, vas aliquod fictile argenti plenum & in terrâ defossum, sonitum mihi faciat, sub instrumento quo terram verto, [*dextro Hercule:*] .i. Hercule propitio atque in hoc mihi fauente: [*vel, vtinam expungam pupillum, quem impello proximus hæres,*] .i. vel, vtinam ego illum puerum è tabulâ deleam, quem proximè sequor vt secundus hæres in testamento substitutus, [*namque est scabiosus, & tumet acri bile.*] .i. namquè ille pupillus est mirè scabiosus, & nociuâ

1 Vult neminem illa vota perniciosa scire, nisi se & deos, ac si muneribus corrumperentur dij, veluti Iudices praui.
2 Persius in hoc loco sicut alibi multoties, Horatium imitatur. Epist. XVI. lib. 1. *Labra mouet, metuens audiri: pulchra Lauerna Da mihi fallere, da iustu m sanctúmque videri: Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.*
3 Ad bullæ similitudinem exeat, & tanquam bullæ tumor euanescat. Est illusio ad vetus Adagium. HOMO BVLLA.
4 *Præclarum* & opulentum funus, denotat mortui diuitias & opulentam supellectilem. Nam sumptus funeris,

cholerâ suffusus inflatur & tumet, vndè spe ducor eum breui moriturum. [*tertia vxor iam ducitur Nerio.*] .i. certè beatus fuit fœnerator ille Nerius, qui duas vxores sepeliuit & tertiam iam duxit, vndè tres dotes est lucratus.

pro facultatibus & dignitate viri fieri debent. 5 *Seria*, est vas fictile oblongum, Anglicè a long carthen vessell. Terent. *Serias omnes releui.* 6 Fingitur *Hercules* semper apud se habuisse Amalthææ cornu, vndè thesauris recludendis, & & opibus largiendis præesse creditur. vide Adagium. AMICO HERCVLE. 7 *Impello*, vt vnda vndam. 8 Metaph. est. Nam milites *expuncti* dicuntur, cùm ab exercendâ militiâ repelluntur, adempto stipendio, quod vbi fit, eorum nomina albo eraduntur. Milites enim punctis scripti, inseruntur legioni & iurant, vt docet Vegetius. lib. II Indè *expuncti* dicuntur, deleti, & à militiâ remoti. 9 *Scabies* (sic dicta à *scabo*) est aspredo cutis, seu lenis exulceratio pruriens, aut interdum rodens, cuius multæ sunt species, humoresque multi ac varij earum causæ existunt, quos & dolor & color & manãtis saniei species distinguit. 10 Tumores externi, quibus pueri sunt obnoxij, à bile siue acri siue atrâ proueniunt, quales sunt Erysipelata, Herpetes, Canceri & eiusmodi. vide Gal. de Crisibus lib. II. 11 *Nerius* homo improbissimus, multarum vxorum morte plurimùm locupletatus, factus est fœnerator admodùm astutus. de quo Horat. Sat. III. lib. II. *Scribe decem Nerio,* —— 12 Vtinam id mihi felicitatis eueniret, inquit ille precator, sed tacitè & intra se mussitat.

Hæc sanctè vt poscas, [1] Tyberino in flumine mergis
Manè caput bis, tér-ue, & [2] noctem flumine purgas.

Quanquam vota tua (inquit Persius) *turpia sint, obscœna & flagitiosa, tamen.*

Vt poscas hæc sanctè,] .i. vt illa scelerata ritè & ex ordine religionis à deo poscas, [*mergis caput manè bis, tér-ue, in flumine Tyberino.*] .i. omnes ceremonias curiosè obseruas, & tempore matutino sæpè lauas caput tuum in *Tybri*, [& *purgas noctem flumine.*] .i. et pollutionem tuam vel concubitum nocturnum, vt deum purè accedas, flumine abluis viuo & naturali.

1 *Tybris* fluuius Italiæ est, sic appellatus à rege Tuscorum huius nominis, qui piraticam iuxta eum exercens, in bello periit, quod Virgilius videtur affirmare, —— *asperque immani corpore Tybris, A quo, pòst Itali fluuium cognomine Tybrim Diximus amisit verum vetus Albula nomen.* 2 Sordes nocturnâ Venere contractas. *vel*, Insomnia minùs pudica. Tritum est illud Tibulli. *Casta placent superis, purâ cum mente venite,*

venite, Et manibus puris sumite fontis aquas. Hieronymus in Apol. aduersus Iouinianum sic scribit. *Nam & in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domubus suis non erant, sed purificabantur ab vxoribus separati, & vinum & ciceram non bibebant.*

1 *Staius Albius Oppianicus* homo fuit sceleratissimus et Iudex corruptissimus temporibus Ciceronis, quem vide pro Cluentio. Veneno enim fratrem suum Oppianicum et Cluentiam eius vxorem grauidam, partu appropinquante, sustulit, vt mulier et qui erat conceptus necarentur. Asinium item Larinatem, adolescentem pecuniosum Romam blanditijs allectum, Arulij operâ interfecit, *Staius* hîc ponitur, pro quouis homine malo et scelesto. Est argumentum à minori ad maius.

Heus, agè responde, minimum est quod scire laboro:
De Ioue quid sentis? Est-ne vt præponere cures
Hunc cuiquam? cuinam? Vis [1] Staio? [2] an scilicet hæres?
Quis potior iudex, puerisue quis aptior [3] orbis?

Heus] tu auare & improbe precator (inquit Persius) qui putas precibus hypocriticis et largitionibus, te posse deos corrumpere, vt tandem intelligas facinorosa tua vota deos non flectere, sed ad iram potiùs prouocare, [*Agè responde, minimum est quod laboro scire.*] .i. Agè responde mihi vnum quod te rogo, res minima est, quam ex te cognoscere expeto. [*quid sentis de Ioue?*] .i. quam opinionem habes de Ioue deo optimo maximo, à quo ista tam iniqua petis? [*Est-ne vt cure præponere hunc cuiquam?*] .i. Estne Iupiter tuâ opinione talis, vt ausis eum anteferre alij cuipiam, homini saltem scelerattissimo? [*Cuinam? vis Staio?*] .i. Cuinam ipsum præpones? nunquid præpones eum Staio homini crudeli et sceleratissimo? [*an scilicet hæres? quis potior Iudex vel aptior orbis pueris?*] .i. an dubitas vter horum duorum sc. Iupiter an Staius, futurus sit iustior Iudex, et tutor magis idoneus pupillis parentibus orbatis? sic. *Staio homini iniquissimo hæc nefaria vota displicebant, Ergò Iouem deum optimum et iustissimum multò magis offendent.* 2 Persius bile commotus damnat auarum, quòd cunctetur deum orphanorum protectorem mortali præponere. 3 Orphanis, qui parentibus orbantur.

1 Persuadere, *vel*, curuare. Salust. *facilè eos ad tantum negotium*

Hoc igitur, quo tu Iouis aurem [1] impellere tentas,
Dic agedum Staio; prô Iupiter ô bone, clamet,

Iupiter! [2] *at ſeſe non clamet Iupiter ipſe?*

Agè igitur, dic Staio hoc, quo tu tentas impellere aurem Iouis,] .i. Agè igitur ô precator deorum iniquiſſime, dic Staio homini flagitioſo hoc votum tuum, per quod conaris ſanctiſſimam Iouis aurem flectere [*clamet pro Iupiter, ô bone Iupiter!*] .i. Si dicas id Staio, certè ille quãuis homo ſceleratiſſimus, auditâ precationũ tuarũ nefandâ turpitudine, ſtatim exclamet, *prô Iupiter! ô bone Iupiter!* cur pateris hunc impium & impudentem precatorem, qui hæc flagitioſa abs te petere non erubeſcit? [*non ipſe Iupiter at ſeſe clamet?*] .i. Si Staius homo peſſimus ſic inclamet Iouem, nónne ſanctiſſimus ipſe Iupiter, ob vota tua iniqua, commouebitur irâ, & ſeipſum multò magis inclamabit?

impelli poſſe, Item, *impellere*, eſt vrgere. Virg. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.*

2 *Ad ſeſe clamare*, eſt ſeipſum ad vindictam excitare, *vel* ſeipſum increpare.

Ignouiſſe putas, quia, cùm [1] *tonat, ocyus* [2] *ilex*
[3] *Sulfure diſcutitur* [4] *ſacro, quàm túque, domúſque?*
An quia non [5] *fibris ouium,* [6] *Ergennáque iubente,*
Triſte iaces [8] *lucis, euitandúmque* [9] *bidental,*
Idcirco ſtolidam præbet tibi [10] *vellere barbam*
Iupiter?———

Putas ignouiſſe, quia, cùm tonat, ilex diſcutitur ſulfure ocyus quàm túque domúſque?] .i. At, impie precator, putas tu Iouem tibi veniam donaſſe, nec eſſe iratum, eò quòd, quando Iupiter tonat, te non ſtatim punit, ſed ilex fulmine concutitur & diſſipatur, citiùs quàm tu (homo perdite) & domus tua? [*an quia non iaces in lucis, bidental triſte & euitandum, fibris ouium & Ergennâ iubente, idcirco præbet Iupiter tibi vellere barbam ſtolidam?*] .i. quia Iupiter te fulmine non percuſſit nec indè iaces in ſyluis, tanquam res bidente expianda, inteſtinis ouium & Ergennâ etiam aruſpice iudicantibus, quòd euitandus ſis, & à nemine ſine periculo contrectandus: ergó-ne, quia ita nondum punitus es, exiſtimas Iouem tibi deridendum? ſic vt ille tanquam ſtultus, permittat tibi barbam ſuam vellere?

1 Tonitrus, eſt Iouis irati ſignum.
2 Eſt arbor glandifera Ioui ſacra.
3 Fulmine odorem ſulfuris emittente. Nam fulmina & fulgura (teſte Plinio) ſulfuris odorem habent, ac lux ipſa eorum ſulfurea eſt. Virg. —— & latè circum loca ſulfure fumant.
4 Fulmine à cælis proueniente, *vel*, fulmine execrabili & verendo.
5 Extis ſiue inteſtinis ouium, pro victimis ad ſcelus tuum expiandum cæſârum. De *fibris* vide ſuprà Sat. 1.

6 *Ergennas* fuit aruſpex Tuſcus, fulminis expiator. 7 Quid enim triſtius homine fulgure exanimato? 8 *Luci*, ſunt nemora diis conſecrata, quamobrem à poëtis vocantur deorum templa, ſiue domicilia. Dicitur *lucus* à *luceo* per Antiphraſin, quòd minimè luceat. Sunt alij, qui non per contrarium deducunt, ſed propter lumina crebra ſacrificiorum, quæ ibi nocturno tempore fiebant. 9 *Bidental* locus eſt, in quem fulmen decidit, qui cæſis bidentibus (vnde nomen ſumpſit) arâ extructâ & ſacerdote adhibito, expiabatur. *Triſte* autem dicitur, quòd triſtes homines efficiat, & euitandum fuit, quia talem locum tangere nefas erat. *Bidental* hoc loco ponitur pro homine fulmine percuſſo. Horat. in Art. Poët —— *an triſte bidental Mouerit inceſtus?* 10 *Barbam vellere*, ſignum eſt ludibrij & contemptus. Sic Dionyſius Æſculapium, & Iudæi CHRISTVM irriſerunt. Iouem igitur videtur ſtultum facere, eiúſque barbam vellicare, à quo tam iniuſta, tam turpia & inhoneſta petere præſumat. vide ſuprà Satyr. 1.

——aut quidnam eſt, quâ tu mercede deorum.
[1] *Emeris auriculas? pulmone &* [2] *lactibus vnctus?*

1 Pretio dato conduxeris & tibi comparaueris?
2 *Lactes* ſunt graciliora inteſtina, ſic dictæ aut propter mollitiem, aut propter pinguedinis candorem. ἀπὸ τοῦ γάλακτος *à lacte.*

Perſius irridet eos, qui victimis & muneribus deos capi poſſe exiſtimant. Dij enim non pretioſa in ſacrificijs, ſed mentem ſacrificantis quærunt. Ouid. Non boue mactato cœleſtia numina gaudent, Sed quæ præſtanda eſt & ſine teſte, fide. *Lactantius lib.* v 1. Hæc religio cœleſtis eſt, non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed virtutibus animi, qui oritur è cœlo.

Quidnam eſt? aut quâ mercede emeris tu auriculas deorum?] .i. Quæ res eſt, aut quo pretio vel præmio, credis tu deorum aures tibi faciles reddi, vt te exaudiant, & ad turpia tua vota ſe inclinent? [*pulmone & lactibus vnctus?*] .i. nunquid hoc pinguibus pecudum viſceribus, & magnificis ſacrificijs præſtitiſti? Eſt Ironia.

Ecce auia, aut metuens diuûm [1] *matertera, cunis*
Exemit puerum, frontémque atque [3] *vda labella*

1 *Matertera* eſt ſoror matris quaſi mater altera. Ang. an Aunt by the Mothers-ſide.

[4] *Infami*

[4] *Infami digito, &* [5] *lustralibus* [6] *antè saliuis*
Expiat, [7] *vrentes oculos inhibere perita.*

Hactenus de Romanorum procerum votis impijs & iniustis. Iam verò versu amarulento, Persius insectatur vanas & superstitiosas mulierum preces, quæ suis filijs & à se progenitis, neque bonos mores, neque multarum rerum scientiam, sed opes immodicas, prædia amplissima, corporis pulchritudinem, principum & puellarum gratiam & amores, atque alia eiusmodi improba & inepta precabantur.

Ecce auia, aut matertera metuens diuorum, exemit puerum cunis,] .i. Ecce auia decrepita aut matertera, superstitiosa deorum cultrix, infantulum è cunabulis excepit, & in vlnas suas sustulit, [& *perita inhibere vrentes oculos,*] .i. & existens artifex docta ad amoliendum fascinatorios intuentium oculos, [*ante expiat frontémque atque vda labella infami digito, & lustralibus saliuis.*] .i. antequam vota pro eo concipiat, frontem eius & humida labella tingit, & medio purgat digito saliuisque vim habentibus puërum lustrandi ac muniendi contra veneficia & incantationes.

2 *Cunæ & cunabula* sunt lectuli in quibus infantes solent iacere, *vel*, Loca in quibus nascuntur, quæ etiam *Incunabula* dicuntur. *Cuninam* deā veteres coluerunt, quæ infantium cunis præsidebat. 3 Ergò *vuida*, quia pueris edentulis saliua continuò fluit. 4 Digitus medius dicitur *infamis & impudicus. Verpus* etiam appellabatur à verrendo podice. Ideóque Iudæi dicti sunt *Verpi*, qui hæmorrhoïdas habentes, hoc digito podicem verrendo vtuntur, vel, quòd auersam ab alijs naturam habere videantur. 5 Saliuis expiatorijs. nam *lustrare*, expiare & purgare significat. *Saliua*, vel à saliendo dicitur, quòd in ore saliat & crescat, vel, quòd ferè salis saporem habeat. *Saliuam virginem* dixit Augustinus, quæ stomacho ieiuno manauit. 6 Ante quam orare incipiat. 7 Oculos fascinatorios. Virg. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Sunt quædam familiæ in Triballis, & Illyricis, (vt refert Isigonus apud Plinium lib. 7. c. 2.) quæ visæ effascinent, interimántque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, quod eorum malum faciliùs sentiunt impuberes.

Tunc manibus quatit, & [1] *spem macram supplice voto.*
Nunc [2] *Licini in campos, nunc* [3] *Crassi* [4] *mittit in ædes.*

Tunc quatit manibus,] .i. postquam auia vel matertera his ridiculis ritibus puerum expiauerit, tunc eum manibus suis motitat & eleuat, [& *voto supplice*] .i. & vouens

1 In pueris nihil aliud est quàm *spes*, ex quâ toti pendent. Virg. —— *per spem surgentis Iüli.* *Macram* appellat *vel*, Ironicè, perindè ac si parua res esset, quam

optat muliercula, *vel*, quia vanâ spe ducitur, nec fruitur voto. Angl. **a poore or leane hope.**

2 Fuit hic *Licinus* Augusti Cæsaris tonsor & libertus, homo Imperatoris indulgentià diues admodùm factus & opulentus, agris præsertim. Iuuenal. — —*ego possideo plus Pallante & Licinus.* 3 *Marcus Crassus* primus omnium Romanorum dictus est cognomento DIVES. posteà decoxit. Irrisione tamen occurrentium salutabatur Diues. Valer. 4 *Mittit* in agros vt eorum possessor fiat. sicut quis dicitur mitti in possessionem alicuius fundi.

vouens supplicánsque pro puero [*nunc mittit macram spem in campos Licini, nunc in ædes Crassi.*] .i. aliquando spem tenuem & incertam de illo puero concipit, & mittit in agros Licini viri agrorum ditissimi, atque aliquando in domos Marci Crassi hominis locupletissimi, vt iste puer fiat illorum hæres, & vsque ad opimam illorum fortunam procedat.

1 *Rapere*, est per vim aut cum festinatione, siue cum furore auferre. Terent. *Hunc intrò rape quantum potes.* Aliquando *rapere*, est vim adferre virginibus atque impuberibus pueris. Virg. — — *& rapti Ganimedis honores.*

2 *Rosa* flos est propter pulchritudinem & suauem odorem Veneri sacer, non absurdè fortasse. Nam veluti Rosa breui viget, ita & venerea voluptas.

Hunc optent generum Rex & Regina; Puellæ
Hunc [1] *rapiant: Quicquid calcauerit hic,* [2] *rosa fiat.*

Est aliud votum illius vetulæ satis ineptum & superiori multò stolidius & impudentius.

Rex & Regina optent nunc generum;] .i. Vtinam adeò elegans, formosus & amabilis sit hic infans, vt reges & reginæ exoptent atque eligant eum filiæ suę maritum, [*Puellæ hunc rapiant:*] .i. Vtinam puellæ ob eius venustatem (tanquam aliquem Narcissum) violenter auferant & ad stupra pelliceant: [*fiat rosa, quicquid hic calcauerit.*] .i. vbicunque hic meus puer pedem fixerit, exinde enascatur rosa suauis.

1 Candidis vestibus induta, sacrificantium more. Cicero in Legib. *color albus præcipuè decorus Deo est, cùm cæteris tum maximè in textili.* Qui quidem color candorem animi, morum

Ast ego nutrici non mando vota, negato
Iupiter hæc illi, quamuis te [1] *albata rogârit.*

Cùm talia vota pro pueris sint vana & perniciosa: ego (inquit Persius)

Non mando vota nutrici,] .i. Ego tam stulta vota non iniungo infantis mei nutrici, [*ast Iupiter negato hæc illi,*] .i. sed tu similiter ô Iupiter negato illi hæc impia vota, [*quamuis albata rogârit te.*] .i. quamuis

more

more sacrificantis, albis vestibus amicta, pro alumno suo intercesserit.

integritatem, & vitæ innocentiam significat.

Poscis opem [1] neruis, corpúsque [2] fidele senectæ:
Esto, age; sed grandes patinæ [3] tucetáque crassa
Annuere his superos vetuêre, Iouémque morantur.

Huc vsque Persius taxauit illos, qui stulta omninò & noxia faciunt vota. Iam verò deriuet eos qui bona à dijs expetunt, sc. robur, bonam valetudinem & vitam longam, illa tamen omnia ingluuie, crapulâ, incontinentiâ suisque contrarijs factis sibi ipsi adimunt.

Poscis opem neruis,] .i. Exoptas corpori tuo robur & firmitatem in futurum, [*corpúsque fidele senectæ.*] .i. & petis corpus validum, quod in senectute te non decipiat. [*Esto, agè:*].i. quando nihil petis nisi quod bonum est & honestum, agè, pete audacter: [*sed grandes patinæ,*] .i. sed patinæ varijs obsonijs refertæ, quibus tu valetudinem tuam premis, [*tucetáque crassa*] .i. & pinguia quibus vesceris farcimina [*vetuêre superos annuere his,*].i. impediuerunt deos concedere quæ petijsti, [*morantur Iouémque.*].i. & Iouem, quo minùs hæc donet, impediunt atque retardant.

1 *Néruus* est instrumentum, per quod sensus & motus ad vniuersum corpus defertur, vndè quæ neruis carent, sensu quoque destituuntur. In neruis robur peculiariter existit, vndè dicimus *rem esse sine neruis*, quæ debilis est. Horat. — —*sine neruis altera quicquid Composui, pars esse putat.*—— Memoratu dignum est, quod Iulius Capitolinus refert de Mario, qui tantâ manuum fortitudine præditus fuit, vt in digitis neruos non venas habuisse videretur. 2 Corpus validum & ab alijs morbis immune, quibus plerunque infestatur senectus, sc. Coryzâ, nephritide, paralysi, dyspnœâ, stranguriâ, sensuum hebetudine, &c. vide Hipp. & Cornel. Celsum. 3 *Tuceta* sunt farcimina, ex carnibus suillis minutim concisis facta. Alij dicunt esse genus cibi sapidum satis, ac odoris suauissimi, sed contrarium sanitati.

[1] Rem struere exoptas [2] cæso boue, [3] Mercuriúmque
Arcessis fibrâ: Da fortunare [4] penates,
Da [5] pecus, & gregibus [6] fœtum. ———

Persius reprehendit eos, qui à dijs expetentes locupletari, omnes opes & facultates suas, frequentium boum & pecudum immolatione, exhauriunt.

1 *Res*, generalem habet significationem. A Dialecticis dicitur terminus transcendens, quo Substantia, Qualitas, Actio comprehenduntur. Complectitur enim

Exoptas struere rem] .i. Tu autem qui auarus es, rem tuam familiarem augere petis [*boue caeso,*] .i. boue mactato, & quotidianis hostijs immolatis, [*arcessis Mercuriúmque*] i. & Mercurium inuocas seu potius lacessis [*fibrâ:*] .i. victimarum intestinis: [*Da fortunare penates,*] .i. & dicis, ô Mercuri, concede, vt dij domestici fortunent & beatam reddant domum meam, [*da pecus,& foetum gregibus.*] .i. largire mihi pecus copiosum, gregibúsque meis da foecundam propagationem.

omnia siue corporalia, siue incorporalia. Hic autem ponitur pro censu siue diuitijs. sic apud Terent. in Eunucho. *Eius frater aliquantulùm ad rem est auidior,* *Rem struere*, est diuitias coaceruare, augere, amplificare. 2 Pro sacrificio. 3 *Mercurius* fuit filius Iouis ex Maia Atlantis filiâ. Dictus est Deus mercatorum, lucri praeses & author. Est etiam deus Eloquentiae, vndè à Graecis *Hermes* appellatur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας. i. *ab Elocutione*, quâ animi sensum eloquimur & interpretamur. *Mercurius*, quasi mercium cura, vel quasi medius inter homines currens, quòd sermo currat inter homines medius, atque eam ob causam, dicitur *Nuncius*, quia per sermonem, omnia enunciantur. vide Horat. lib. 1. Ode. x. 4 *Penates* sunt lares familiares, vel dij domestici, sic dicti (teste Cic. lib. 11. de nat. deorum. à *Penu*. Est enim omne, quo vescuntur homines, Penu. *vel*, ab eo quòd penitus insident. habebat autem suos quisque deos penates domi suae. 5 *Pecus* hoc loco ponitur, pro multitudine pecorum siue pecudum, vt apud Virg. *Dic mihi Damoeta, cuium pecus, an Meliboei?* *Pecus, oris*, siue *pecus, udis* significat omne animal quod sub hominis imperio è pabulo terrae pascitur, vt boues, asini, equi, oues, caprae & huiusmodi. Aliquandò dicitur de omni animali quod humanâ linguâ & formâ caret. Virg. *Ignauum fucos pecus à praesepibus arcent.* Horat. Ode. 11. lib. 1. *Omne cùm Proteus pecus egit altos Visere montes.* 6 *Foetus* est nomen generale ad omnia animalia, etiam si sint Oua, etiam ad arbores. Virg. lib. 1. Georg. *Hic segetes, illic veniunt feliciùs vuae, Arborei foetus alibi,* ———

——— ———quo, pessime, pacto,
Tot tibi cùm in flammis [1] *iunicum* [2] *omenta* [3] *liquescant?*

Persius hunc hominem pecus suum quotidie immolantem, stultitiae arguit.

Pessime, quo pacto?] .i. ô homo pessime & stolidissime, dic mihi, quo modo dabitur quod optas, sc. vt res familiaris & grex tuus augeantur? [*cùm tot omenta iunicum liquescant tibi in flammis?*] .i. cùm tot iuuencarum

1 *Iunices*, sunt tenerae aetatis boues foeminae, quae iam cessarint vituli esse. nec dum tamen, ad summam magnitudinem peruenerunt; vitulis grandiores, bobus iuniores.

uencarum & boũm inteſtina immolentur à te quotidiè, & igni comburantur. Nonnè opes tuas & gregem tuum ſic indies imminuis?

Angl. Heyfers. ponuntur hic pro bobus vel tauris.

2 *Omentum*, inteſtinum eſt (vt inquit Celſus) ex interiore parte leue & ſtrictum, de ſuperiore mollius, cui adeps quoque innaſcitur, quæ ſenſu, ſicut cerebrum quoque & medulla, caret. *vel*, *Omentum*, eſt membrana tenuis, ventris interioris partes contegens. Angl. the Kerchiffe or Rym of the belly.

3 Solebant veteres inter ſacrificandum, eas hoſtiæ partes omento & adipe operire, quas vrerent, vt pinguedine ignem alente, faciliùs arderent.

Attamen hic [1] *extis, & opimo vincere* [2] *farto*
[3] *Intendit.* ———

Attamen hic intendit vincere extis, & opimo farto.] .i. Hic demens & importunus precator, quamuis hiſce ſacrificijs ſe videat ad extremam inopiam redigi, & quamuis planè ſentiat, neque opes ſuas neque pecudes hinc augeri, proponit tamen ſibi & perſeuerat, deos corrumpere pinguibus victimarum inteſtinis, & fertili ſacrificio, nec ab incepto deſiſtit.

1 Iecur, cor, & pulmo propriè dicuntur exta, ab *extando*. Romanorum religio ſemper putauit, iecur eſſe caput extorum, quæ præcipuè & præ alijs hoſtiæ partibus immolabantur.

Scribit Plinius lib. xxx. præcordia vocari vno nomine *Exta* in homine. Feſtus hæc omnia dici *Exta* putauit quia dijs proſecentur, vt non à ſitu, ſed ab officio ſic appellarentur. 2 Quidam codices habent *fertum*, quod eſt genus libi vel ſacrificij, ſic dictum quia ſæpè ad ſacra ferebatur. Alij legunt *fartum*, quòd multarum rerum congerie fartum eſſet. 3 Contendit.

———*iam creſcit Ager, iam creſcit Ouile,*
Iam dabitur, iam iam, donec [1] *deceptus, &* [2] *expes*
[3] *Nequicquam fundo* [4] *ſuſpiret nummus in imo.*

Sunt verba hæc aut Perſii per modum irriſionis, iſtum ſacrificantem alloquentis, aut (quod magis probo) ipſius auari precatoris, vanâ ſeipſum ſpe conſolantis.

Iam Ager creſcit,] .i. ob opimas meas victimas & ſumptuoſa ſacrificia, nunc Ager meus. i. quod ſatum eſt in agro meo, creſcit & capit incrementum, [*iam Ouile creſcit,*] .i. grex meus nunc per fœturam augetur, [*iam dabitur, iam iam:*] .i. mox omne quod opto

1 Quoad expectationem domini ſui, qui ſperabat pecuniarum augmentum quas litando fruſtrà conſumpſerat.

2 Sine ſpe, deſperans de pecuniæ prouentu poſt tot pecudes conſumptas.

3 Fruſtrà Virg. *Arma diu ſenior*

defixta trementibus æuo, Circundat nequicquam humeris.— —

4 Est Prosopopœia perelegans. quasi nummus in fundo arcæ vel loculi relictus solus, præ timore ingemiscat, ne & ipse etiam, sicut cæteri nummi olim socij sui, insumatur. Et certè, IN FVNDO *sera est parsimonia.*

to mihi dabitur, idque sine morâ. In hoc proposito (inquit Persius) iste stolidus precator tam diu perseuerat, *donec nummus deceptus, & expes suspiret in imo fundo.*] i. donec tandem post facultatum suarum profusionem, nummus eius qui è plurimis, in inani arcæ fundo solus & solitarius est relictus, iam deploratus ac vanâ spe frustratus, recuperandi alios nummos sociales in sacrificiorum multitudine exhaustos, frustrà ingemescat.

Si tibi [1] *crateras argenti,* [2] *incusaque pingui*
Auro dona feram, sudes, & pectore [3] *læuo*
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.

Persius inuehitur in illos, qui deos muneribus capi, & in eo hominibus similes esse existimant, quasi auro, argento & consimilibus dij delectentur, cùm potiùs vt inquit Lactantius, Deus non pecudum sanguine, sed hominis pietate placatur. *Atque vt noster ait poëta,*
——habitare animos & pectora gaudet.

Si feram tibi crateras argenti, donáque incusa pingui auro,] .i. Si tibi offeram, ô stolide precator, magna pocula ex argento facta, & si tibi donem vascula ex largo & crasso auro fabricata, [*sudes, & excutias guttas èx læuo pectore,*] .i. tu præ nimiâ lætitiâ sudorem emittas è sinistrâ pectoris parte, [*prætrepidum cor lætari,*] .i. & cor tuum incipiat lætari cum trepidatione quadam, præ gaudio valdè palpitans.

1 *Cratera*, masc. generis, vel *Crater*, significat poculum grande & patens ἀπὸ τῦ κρατεῖν, quod est *tenere* vel *capere*. Virg. *Crateras magnos statuunt, & vina coronant.* sed mihi videtur, quòd *Cratera* in hoc loco sit generis fœminini, quoniam vltima eius syllaba longa est. Tuum esto iudicium.

2 Vasa ex auro ad incudem fabricata. vel sanè (vt putat Clauerius) pondera auri infecti, non cusi. 3 Pectore glabro & depili. Taxat fortasse eorum mollitiem, qui volsellis vtuntur, ad pilos euellendos. *Cor* autem in medio omninò thoracis sinu, secundum omnes dimensiones ad æquilibrium consistit, loco cùm ad securitatem aptissimo, tum ad æquabilem ex toto pulmone refrigerationem, opportunissimo. Existimant tamen id ad læuam regionem situm, ob sinistri ventriculi pulsationem, quæ circa sinistram mammam sentitur. Vide Gal. lib. v I. de vsu partium.

Hinc illud subijt, auro sacrasq; quod [1] *ouato*

1 *Ouatus*, poëticum est Partici-

[2] *Perducis facies. nam [3] fratres inter ahenos,*
Somnia [4] pituitâ qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Hinc illud subijt,] i. Hac de causâ, quia tu credis, deos quemadmodum mortales muneribus affici, & quòd ipse tu auro adeò delectaris: illud in mentem tibi venit, [*quòd perducis sacras facies auro ouato.*] i. quòd auro oblinis deorum simulachra, ex manubijs & hostium spolijs comparato. [*nam inter fratres ahenos,*] i. inter deos ex ære fabricatos, qui tanquam fratres, sunt formâ similes, & in eodem templo positi [*præcipui sunto, qui mittunt somnia purgatissima pituitâ,*] i. in summo honore tibi habeantur, qui vera & sincera tibi immittunt insomnia, [*sitque illis aurea barba.*] i. & eorum statuis ex ære factis, barbam auream addito. Est Ironia.

pium, ab *ouo, as,* sicut *triumphatus,* à *triumpho, as.* *Ouatio,* species est minoris triumphi, quem faciebant Ouantes redeuntes ex pugnâ, quum bellum non erat indictum, vel sine sanguine factum. *Ouationis* nomen tractum est ab *Oue.* Nam bos in magno triumpho immolabatur, in Ouatione ouis.

Aurum igitur *ouatum,* significat aurum ex hostium spolijs & prædæ manubijs collectum, quo deorum Imagines oblinebant, vel, ex quo deorum Simulachra tota effingebant. Alij exponunt. *Ouatum aurum,* ouo auratum, quoniam statuæ marmoreæ & æreæ, oui albo anteà illinitæ, auri & argenti laminis decorentur. Ab *Ouo* autem deducere, mihi non placet, ne Persio notam fortasse inuterem, quamuis pleraque deriuatiua primitiuorum naturam non seruant. 2 Tingis, seu auro illinis. 3 Romæ in porticu Apollinis palatini, extabant aheneæ effigies filiarum Danaï, & contra eas sub dio totidem statuæ equestres filiorum Ægypti, qui omnes Lynceo excepto, vnâ nocte à nouis nuptis sunt occisi. Ex ijs autem statuis, quædam dicebantur responsa dare postulantibus, per somnium. Ac fortè erant eiusmodi simulachra in Pantheo Romæ, vel in templo Isidis. Sensus est. Eos inprimis deos colendos assume, qui vera somnia hominibus immittunt. 4 Somnia quæ à noxijs humoribus non proueniunt habentur veriora. vide, si placet Hippo. Gal. Ferrerium, Synesium, atque alios qui multa scripserunt de Insomnijs. 4 *Pituita* Græcè dicitur φλέγμα. Hinc *pituitosus* appellatur, qui vulgò dicitur phlegmaticus. Cic. lib. 1. de Fato. *Inter locorum naturas quantum intersit, videamus alios esse salubres, alios pestilentes, in alijs esse pituitosos & quasi redundantes, in alijs exiccatos atque aridos,*

Aurum, vasa [1] Numæ, [2] Saturniaq; [3] impulit æra,
[4] Vestalésque vrnas, & [5] Thuscum fictile mutat.

Ex hac superstitiosâ opinione (inquit Persius) *sc. quod dij veluti mortales auro delectentur, factum est, vt*

1 *Numa Pompilius,* vir Sabinus & secundus post Romulum Romanorum rex, sacer-

Aurum

Aurum impulit vasa Numæ Saturniáque æra,].i. Aurum eiecit ex templis fictilia vasa, in quibus Numa Pompilius sacrificabat, atque è templis etiam profligauit vasa ærea, quorum fuit vsus in aureo seculo, regnante Saturno, [& *mutat Vestales vrnas* & *Thuscum fictile,*].i. & Aurum in se commutauit vasa fictilia, quibus virgines Vestales in Vestæ sacris vtebantur. Denique Aurum in se permutauit vas Thuscum, fictile nimirum, quo prisci illi Thusci sacris multùm dediti, vsi sunt.

dotes creauit, virgines Vestales sacrauit, Pontificem Maximum primus declarauit, annum in duodecim menses diuisit; postremò vbi maximâ cum reuerentiâ Quadraginta annis regnasset vitam cum morte commutauit. 2 De Aureâ ætate sub Saturno regnante, vide Ouid. Met. lib. I. 3 Expulit & è templis eiecit. 4 *Vesta* fuit Saturni filia ex Ope, quæ pro *terrâ* quandoque sumitur, eò quòd rebus omnibus vestiatur, *seu*, quia vi suâ stat. Ouid. lib. VI. Fast. *Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur.* Romæ in templo Vestæ (quam ἑστίαν nominant Græci) seruabatur à virginibus Vestalibus Ignis æternus, qui si fortè fuerit extinctus, nequaquam reparari fas erat. Hoc templum struxit Numa Pompilius, de quo sic scribit Plutarchus. *Numa regiam iuxta Vestæ templum condidit, vbi maiorem temporis partem morabatur aut sacris vacans, aut sacerdotes docens.* 5 *Thuscia*, Italiæ regio celebris, à sacrificijs, vt quidam arbitrantur, dicta. Græci enim θύειν *sacrificare* dicunt. *vel*, à *Thure*, quo maximè in sacrificijs vtuntur. *Thuscus, a, um,* nomen est possessiuum à Thusciâ, vndè dicti sunt *Thusci* qui Thusciam habitant. *Thuscum fictile* est vas terreum, quale in Thusciâ fieri consueuit, & in sacrificijs Thusci vtebantur.

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!
Quid iuuat, hos templis [1] *nostros immittere mores?*
Et bona dijs ex hac sceleratâ ducere [2] *pulpâ?*

1 Auaritiam, lasciuiam, auri cupiditatem & huiusmodi vitia, vt existimemus, eadem quæ nobis iucunda sunt, dijs æquè placere. 2 *Pulpa* est caro sine ossibus. ponitur hoc loco pro corpore vitijs & prauis affectibus obnoxio, per quod animus à rebus diuinis ad

Acris est exclamatio in eos, qui pecudum ritu in terrena proni, cælestia negligunt, quique ex ingenijs suis corruptis moribúsque deprauatis deum metientes, existimant se muneribus & externis sacrificijs gratos illi fore & acceptos, cùm optimus animus sit pulcherrimus Dei cultus. Hic verus cultus est, in quo mens colentis seipsum Deo immaculatam victimam sistit. *Lact. lib. de vero cultu. Cap 11.*

O animæ curuæ in terras & inanes cælestium!].i. O hominum affectiones non erectæ in cœlum, sed ad

terrena

terrena curuatæ, & à rebus cœleſtibus alienæ! [*Quid iuuat immittere templis hos noſtros mores?*] .i. Quid prodeſt inferre in templa deorum hæc noſtra vitia? [*Et ducere bona dijs ex hac noſtrâ ſceleratâ pulpâ?*] .i. Et iudicare iucunda poſſe dijs exhiberi, ex ſceleratâ & turpi carnis noſtræ libidine?

Hæc ſibi [1] corrupto [2] caſiam diſſoluit oliuo;
Hæc [3] Calabrum [4] coxit vitiatò [5] murice vellus:
Hæc [6] Baccam conchæ raſiſſe, & ſtringere [7] venas,
Feruentis maſſæ crudo de puluere iuſſit.

Perſius enumerat varia carnis noſtræ effecta, quibus homines multùm, dij verò nihil delectantur.

Hæc diſſoluit ſibi caſiam oliuo corrupto;] .i. Hæc pulpa ſcelerata & caro vitioſa, Caſiam in ſuos vſus, nempe ad fucum, vnguentum, & pretioſum odorem, miſcuit oleo corrupto. i. oleo quod ſuum odorem non ſeruat, ſed in Caſiæ naturam tranſit; [*hæc coxit vellus Calabrum murice vitiato:*] .i. hæc pulpa lanas Calabras, colore purpureo tinxit & infecit. [*hæc iuſſit raſiſſe baccam conchæ,*] .i. hæc ſcelerata pulpa mandauit extrahere Margaritam in conchis naſcentem, ad eam auro vel veſtibus inſerendam, [& *iuſſit ſtringere venas feruentis maſſæ de crudo puluere.*] .i. & hæc pulpa imperauit, in vnum conflare paruulas auri vel argenti maſſas ex venis terræ collectas, quæ feruent in fornace vbi purgantur, factæ & contractæ ex puluere nondum excocto.

terrena & caducâ auocatur. *Pulpa* etiam ſignificat cibum lautiorem. Terent. *Lepus tute es, & pulpamentum quæris?*

1 Vnaquæque res alterius permixtione formam mutat & corrumpitur. Eſt æmulatio Virgiliana. *Nec Caſiâ liquidi corrumpitur vſus oliui.*

2 *Caſia* eſt herba ſuauiſſimi odoris & virtútis Cinnamomi. Virg. Egl. II. *Tum Caſiâ atque alijs intexens ſuauibus herbis, Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.* & in Georg. lib. II *Vix humiles apibus Caſias rorémque miniſtrat, Nec circum Caſiæ viridis & olentia latè.* Hinc palàm eſt *Caſiam* (coronariam nimirum) quâ tantopere delectantur apes, herbam non arborem eſſe. vide Gal. lib. I. de Antidotis.
3 *Calabria* eſt pars Italiæ, in quâ iuxta fluuium Galeſum, præ paſturæ copiâ vel dulcedine molliores ouibus lanæ ſunt. quæ quidem oues propter lanæ bonitatem, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quò minus vel inſici rectè poſſit, vel lauari ac parari. Horat. Od. VI. lib. II. *Dulce pellitis ouibus Galeſi Flumen, & regnata petam Laconi Rura Phalanto.* 4 Infecit in cortinâ ſiue aheno caldario. Angl. a Dye-fat. 5 *Murex*, eſt piſcis marinus, ex cuius humore fit color purpureus. 6 *Bacca* eſt lapis pretioſus ſiue vnio, qui ſic adhæreſcit conchæ ex quâ generatur, vt euelli nequeat ſine limâ. 7 Intelligit aurum & argentum. Nam *vena* per tranſlationem ſignificant meatus ſubterraneos, per quos vnda manat,

aut alius liquor, vndè *venas argenti*, *venas* auri dicimus: quæ quoniam scrutādo inueniūtur, *Metalla* appellantur à Græco verbo μεταλλᾶν, quod est *Scrutor* vel *Inquiro*.

Peccat & hæc, peccat; [1] *vitio tamen vtitur*; *at vos*
Dicite [2] *pontifices, in sacris quid facit aurum?*
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine [3] *puppæ.*

Peccat & hæc, peccat,] .i. Hæc caro nostra in vsu Casiæ, purpuræ, vnionum, auri aliarúmque rerum terrenarum, peccat, peccat inquam, quia nos à deo auocat, & rebus mundanis animos nostros immergit, [*tamen vtitur vitio,*] .i. aliquam vtilitatem ex illo vitio percipere videtur, ad corporis ornatum. [*at pontifices, dicite vos, quid facit aurum in sacris?*] .i. ô vos Romani pontifices, qui sacris præsidetis, respondete mihi, quid emolumenti percipiunt dij, ex auro illo profano quod templis dedicatur? [*Nempe hoc, quod puppæ donatæ Veneri à virgine.*] Respondet Persius suæ interrogationi. Aurum nempe in templis dijs oblatum, tantum facit, quantum faciunt imagunculæ puellares, Veneri à virgine nupturâ consecratæ. Vtrumque sanè ridiculum.

1 Re suâ vtitur.
2 *Pontifex*, sacer magistratus (vt inquit Scæuola) à *posse* & *facere* dictus. *vel*, vt ait Varro, à *ponte Sublicio*, quem primùm supra Tyberim pontifices fecerunt, & sæpè restituerunt. Erant autem maiores & minores pontifices, inter quos summus dictus est *Pontifex Maximus*, quòd maximarum rerum, vt scribit Festus, Iudex sit, vindex contumaciæ priuatorum magistratuum. Vide Liuium.
3 *Puppus*, puer paruulus, *puppa*, puella dicitur. Mart. *Se puppam dicit Gellia, cùm sit anus.* Et à similitudine, *puppa* quoque est Imaguncula puellaris ex linteo & tomento facta, deinde vestibus amicta. Angl. a Puppet, or Babie. Mos fuit apud veteres, vt virgines nupturæ suas puppas Veneri donarent, tanquam virginitatis suæ insignia, indè sperantes faustum futurum sibi matrimonium, vtque breui, Veneris beneficio, veros puppos puppásue ipsæmet haberent.

Quin damus id superis, de magnâ quod dare [1] *lance*
Non possit magni [2] *Messalæ lippa propago?*
Compositum [3] *ius fásque animi, sanctósque* [4] *recessus*
Mentis, & [5] *incoctum generoso pectus honesto.*

1 *Lanx*, vas erat latum, magnum & rotundum, minùs excauatum quàm patina, & rebus diuinis aptum. Quæ dijs

Cùm

Cùm dij aurum, argentum, gemmas, sumptuosa sacrificia & alia eiusmodi minimè curent:

Quin damus id superis, quod lippa propago magni Messalæ non possit dare de magna lance?] .i. Cur id in sacrificium non offerrimus dijs, quod nec vitiosus nepos diuitis & potentis Messalæ, nec alius quicunque malus, de amplissimis diuitijs possit dijs offerre? nempe [*compositum ius fásque animi,*] .i. vitam integram secundùm leges humanas & diuinas actam, [*sanctósque recessus mentis,*] .i puras interioris conscientiæ cogitationes & ab omni labe immunes, [& *pectus incoctum generoso honesto.*] .i. & cor nobili & naturali honestate planè & plenè imbutum.

erant offerenda, lanci imponebantur. Iuuenalis sumpsit *Lancem* pro vase escario, in quo caro tam tosta quàm elixa conditur & mensæ infertur. *Aspice quàm magno distendat pectore cancem.* 2 Gens *Messalina* florentissima fuit, Romæ, sic denominata à *Messanâ* vrbe in Siciliâ, quam Valerius Coruinus vicit & cepit, vndè primò appellatus est *Messana,* paulatimque vulgo permutante literas, *Messala* dictus est. Cotta Messalinus maioribus suis indignus, adeò lippus erat in senectute, vt eius palpebræ in exteriorem partem se verterint. Lippi propriè dicuntur, qui oculos habent lachrymantes, cum putredo ab ijs defluit, sed à poëtis, pro vitiosis sæpiùs ponuntur, id ad animum, quod corporis est, transferendo. 3 *Ius* est, facere quod licet per leges humanas, *fas,* quod per Religionem. Virg. *Fas & iura sinunt.* — — (.i. diuina & humana permittunt) *Ius compositum,* est ius ordinatum, legibus scriptis constitutum & sanctum. 4 Intima mentis penetralia. 5 Cor omni virtute non leuiter tinctum, sed natiuâ & genuinâ honestate, vt lana colore, imbutum.

Hoc [1] *cedo vt admoueam templis, &* [2] *farre* [3] *litabo.*

Cedo vt admoueam hoc templis, & litabo farre.] .i. Concede mihi (inquit Persius) vt aris deorum hanc hostiam offeram, sc. veram pietatem mentémque puram, & ego deum placabo sacrificio perexiguo, molâ nimirùm, quæ sale & farre tosto constat.

1 *Cedo*, est verbũ defectiuum apud Comicos celebre. Terét. *Quin tu argentum cedo.* .i. da. 2 Minimo munusculo deos placabo. Boni etenim quamuis paupertimi, Deo semper sunt grati, malos verò Deus non exaudit, quamuis & plurimas & pulcherrimas immolent hostias. Δεινὸν γὰρ ἂν (inquit Socrates) εἰ πρὸς τὰ δῶρα, καὶ πρὸς τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν οἱ θεοὶ. ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχήν. *Absurdum enim sit & ingemiscendum, si dij bona nostra & sacrificia spectent non animum,* Hinc cecinit Horatius Ode XXIII. lib. III. *Immunis aram si tetigit manus, Non sumptuosa blandior hostia, Mollibit auersos penates,* 3 *Litant* solummodò boni viri, & quod volunt sacrificio impetrant, petunt enim honesta tantùm. *Sacrificant* verò tam mali, quàm boni.



SATYRA TERTIA.

ARGVMENTVM.

In hac Satyrâ Persius præcipuè reprehendit flagitiosam adolescentum Romanorum desidiam, & optimarum artium supinam negligentiam, qui gulæ & somno dediti, diuitijs autem freti, omnem virtutem & honestam disciplinam planè contemnebant. Deindè fastum & superbiam Ro. taxat, quid fugiendum sit atque sequendum docens.

NEmpe hoc assiduè? iam clarum [1] *mane fenestras*
Intrat, & angustas [2] *extendit lumine rimas.*
[3] *Stertimus, indomitũ quod* [4] *despumare* [5] *Falernũ*
Sufficiat, quintâ iam linea tangitur [6] *vmbrâ.*
En quid agis? siccas insana [7] *canicula messes*
Iamdudum coquit, & patulâ [8] *pecus omne sub vlmo est,*
Vnus ait [9] *comitum.*———

Per modum Dialogi, Persius introducit vel pædagogum vel quempiam ex condiscipulis, qui adolescentem prædiuitem, somno sepultum quasi aculeo excitat, & ad meliora suadet. Longum est Hyperbaton, oportet igitur constructionis ordinem incipere à versu septimo.

Vnus ait comitum.] .i. Vnus ex condiscipulis, vel vnus eorum qui comitatur hunc desidiosum adolescentem, dicit ad eum. [*Nempe hoc assiduè?*] .i. O ignauissime, tú-ne continuò & singulis diebus facies hoc? sc. vt ad mediam lucem stertas? [*iam clarum*

1 *Mane* Aduerbium ponitur pro Nomine, & significat diei principium quum dies clarus est.
2 Radiorum solis interuentu, rimæ angustæ videntur extendi & dilatari.
3 Vt liberiùs alium reprehendat, pædagogus vel condiscipulus de se quoque dicit in numero plurali. *Stertimus* pro *Stertis.* quod modestiam sapit.
4 *Despumare*, propriè est, spumâ priuare. Virg. lib. 1. Georg.

mane intrat fenestras,& extendit angustas rimas lumine.] .i. iamdudum clara lux matutina intrat cubiculi fenestras, & suo splendore videtur strictas fenestrarum rimas amplificare. [*stertimus, quod sufficiat despumare Falernum indomitum,*].i. tu tamen profundè & cum roncho dormis tantum, quantum satis sit concoquere & exhalare vinum Campaniæ nobilissimum, hesternâ nocte epotum, [*dum linea tangitur horâ quintâ.*].i. donec ab ortu solis hora quinta præterit .i. ad mediam ferè vsque diem.[*En quid agis?*].i. O desidiose, cur non surgis? dic in quo studio versaris, hoc præclaro tẽpore? [*canicula insana iamdudum coquit messes siccas,*].i. stella illa rabiosa solis ardorem adaugens, iam medio die segetes aridas maturat, [& *omne pecus est sub vlmo patulâ.*].i. & omne pecus sub ramis & frondibus vlmi latè patentis quiescit.

Et folijs vndam tepidi despumat aheni. *Despumare* per Metaph. ponitur pro *Concoquere*, vt in hoc loco. Nam, quæ coquuntur, despumari solent. Hieron. *Venter mero æstuans, citò despumat in libidines.* Etsi somno concoquere sit corpulentiæ vtilius quàm firmitati, monet tamen Cornelius Celsus vt, cui stomachus ex indigestione crudum ructat, is quiescere in lectulo manè atque paululum redormire debeat. 5 Sic dictum à *Falerno* agricolâ, qui primus eas vites plantauit, *vel*, à *Falerno* Campaniæ monte in Italiâ, quod quidem vinum adeò forte est & generosum, vt aquâ mixtum vix potest domari, vnde dicitur *Indomitum*. Horat. Ode XXVII. lib. 1. *Falernum* appellat *seuerum* ab effectis, quia seueros, asperos, & rixosos efficit. *Vultis seueri me quoque sumere Partem Falerni?* Tibullus *fumosum* dixit. *Nunc mihi fumosos veteres proferte Falernos.* 6 Est Hypallage. Dum linea tangitur quintâ vmbrâ, pro, Dum quinta linea tangitur vmbrâ. Intellige de horologio solari vel vmbratili, in quo horæ partésque horarum per lineas distinguuntur. 7 *Canicula* diminutiuum à *cane*. Est sydus cœleste in signo Leonis, à quo denominantur *dies caniculares*. Huius exortu, solis vapores intenduntur, feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, & canes toto eo spatio maximè in rabiem aguntur. Plin. 8 Oues, capræ, pecudes & pecora, quæ circiter æstus meridianos, sub vmbriferas arbores se recipiunt. 9 Ponitur *Comes* aliquando pro *Socio*. Cic. ad Heren. *Qui cùm ante lucem surrexisset, comitem suum inclamauit.* Pædagogus etiam inter comites numeratur. vt est apud Iurisconsultum. *Comes* plerumque dicitur, qui sequendo aliquem se maiorem, comitatur. Cic. *non comitem, sed ducem præbuit.*

——verú'n-ne? itá-ne? ocyus adsit
Huc aliquis. nemon'? turgescit [1] *vitrea bilis:*
Finditur, Arcadiæ [2] *pecuaria rudere dicas.*

Somnolentus iste iam tandem præceptoris aut condiscipuli incla-

1 Cholera, iracundiæ sedes, dicitur *vitrea*, quòd non minus clarè hominum

mores, quàm ampulla vitrea quæ in eâ sunt incluta, demonstrat. *vel*, quod magis placet, dicitur *vitrea*, quia subito tumescit, veluti vitrum, quod ab artifice fistulâ inflatur.

2 *Pecuaria*, significant non solum pecorum multitudinem, verùm etiam omnia ex quibus populus Romanus haberet redditus, quia diu hoc solum vectigal Romanis fuit. Hic verò signat Asinos, quos progenerat Arcadia, in quâ, vt scribit Plinius, sunt asini cæteris maiores.

inclamatione expergefactus, respondet & ait,

verúm-ne? itá-ne?] .i. verúm-ne est, ô pædagoge, vel ô condiscipule, quod ex te audio? itá-ne ad horam quintam vsque dormiui? [*ocyus adsit huc aliquis.*] .i. celeriter ad me adueniat aliquis è famulis meis [*nemon'?*] .i. nemó-ne me audit, aut vocantem curat? [*vitrea bilis turgescit:*] .i. in hoc deside & pigro adolescente, quia nullus è famulis suis cum vestimentis, sibi celeriter adcurrit, cholerâ clarâ & amarâ turgescit .i. inflatur per iram: [*finditur*] .i. piger iste præ indignatione propemodum rumpitur, vt ipsum vociferantem cùm audis, [*dicas pecuaria Arcadiæ rudere.*] i. tu credas asinos, quos habet Arcadia maximos, rudere .i. vocem suam naturalem emittere.

1 Membrana, ex eâ parte, quâ adhæret visceri, candidior est, ex eâ verò vndè pili abraduntur, crocea est & flaua. *bicolor* igitur.

2 *Chartam* Alexandri magni victoriâ repertam authorem est M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandriâ, ante non fuisse chartarum vsum, sed palmarum folijs primò scriptitatum, deindè quarundam arborum libris, Angl. **Barkes of trees**, vndè *Libri* nomen sumpsere.

Iam liber, & [1] bicolor positis membrana capillis,
Inque manus [2] chartæ, nodosaque venit [3] arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quòd pendeat humor,
Nigra quòd infusâ vanescat [4] sepia lymphâ:
Dilutas queritur geminet quòd [5] fistula guttas.

Iam capillis positis, liber & membrana bicolor, & chartæ & arundo nodosa venit in manus.] .i. Iam vbi è somno iste piger excitatur, capillis pexis & in ordine dispositis: liber ex quo aliquid vel scribat vel legat, & membrana duorum colorum, in quâ charta inuoluitur, & chartæ in quibus scribat, & calamus qui habet similitudinem arundinis multis nodis distinctæ, venit & sumitur illi in manus, ac tandem ad studium accingitur [*Tunc queritur,*] i. tum quando res omnes studenti necessariæ apparantur, desidiosus iste adolescens, ne studeat, causas ridiculas ignauiæ suæ prætendit, Nam, [*queritur quòd humor crassus pendeat calamo,*]

mo,] .i.quòd atramentum nimis spissum adhæreat pennæ, quâ scribat, [& queritur *quod nigra sepia vanescat lymphâ infusâ* :] .i. quòd sanguis piscis sepiæ, quo pro atramento vtitur, continuò è charta euanescat ob aquam infusam : [conqueritur etiam, *quòd fistula geminet guttas dilutas.*] .i. quòd penna pro vnâ duas extillet guttas nimiâ aquâ commixtas, vndè scripturam maculet.

3 *Arundo*, Græcè Δόναξ, pro calamo scriptorio hîc accipitur. Quandoque sagittam significat, quoniam ex arundinibus fiebant sagittæ. Virg. —— —— *pérque ilia venit arundo.* Est etiam *Arundo* (vt scribit Plinius) quædam piscatoria, quædam aucupatoria. 4 *Sepia*, est piscis marinus, qui vbi sensit se apprehendi, emisso atro cruore, aquam infuscat, suúmque iter occultat. Angl. **a Cuttell.** Huius sanguis pro atramento scriptorio in vsu fuit. 5 Calamus fistulosus vel concauus. Angl. **a Penne.**

[1] O miser, inque dies [2] vltrà miser : huccine rerum
[3] Venimus ? at cur non potiùs, teneróque [4] palumbo
Et similis regum pueris [5] pappare minutum
Poscis ? & iratus mammæ [6] lallare recusas ?

1 Quid deside puero miserius, qui videns sciénsque, tempus, omnium rerum pretiosissimum, perdit ?
2 Magis magísque miser.
3 Prima persona pluralis pro secundâ singulari, vt suprà *stertimus*, pro *stertis*.
4 Cuius ori mater cibum præparatum rostro diducto inserit. *Palumbus* hîc ponitur pro delicatulo, qui curiosè custoditur.
5 *Pappare minutum*, est cibo sorbili vel suaui minutim confracto & masticato vesci,

Sunt verba vel pædagogi vel condiscipuli exclamantis in fatuas huius desidiosi excusationes, quem quotidiè deteriorem fore cernebat.

O miser, inque dies vltrà miser :] .i. ô adolescens miser, & qui posthac futurus es miserior : *huccine rerum venimus ?*] .i. tú-ne ad hunc rerum statum peruenisti, vt ad virtutem acquirendam laborare recuses, tuámque socordiam confictis mendacijs excuses ? [*at*] .i. sed si vis tam mollis esse & delicatulus, [*cur non similis tenero palumbo* & *regum pueris poscis potiùs pappare minutum?*] .i. cur non ad infantiam redis, & similis molli columbulo procerúmque pueris, cur non potiùs desideras cibos minutos & teneros, more puerorum ? [& *iratus mammę recuses lallare ?*] .i. & matri vel nutrici tuæ iratus, cur non recusas soporiferam eius cantilenam, Lalla, Lalla, Lalla, quam nos mutatâ, *a*, in *u*, dicimus, **Lulla, lulla, lulla by ?** *seu*, vt alij volunt, *pappare minutum*, est minutis & blandiusculis verbis patrem appellare, quod faciunt pueri cùm primò discant loqui. *Pappa*

vel *Tata*, vox est mollicula pusionis patrem vocitantis, & *Mamma*, cùm matrem appellat. Martial. *Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum Dici & mammarum, maxima mamma potest.* 6 *Lallare* (vt vult Murmellius) significat *lac sugere. Pueri prædiuitum* (inquit ille) *qui nimis molliter educ a ntur, lac sugunt & in cunabulis cubant ad quintum vel sextum ætatis annum, dum iam fari queant, & lallare recusantes, minutiorem cibum petunt.* Alij meliùs, me iudice, intelligunt *lallare*, esse næniam vel cantionem nutricum, quâ pueros suos iratos ad somnum inducant. in quo sensu, verbum infinitum *lallare*, ponitur pro nomine. *Cur non recusas lallare?* .i. lallationem?

1 *Verba dare* est *illudere*. Terent.
2 Quid causæ est, cur ista effugia & excusationum ambages mihi toties occinas?
3 Metaph. à *ludo*, in quo agitur pro eo, qui pecuniam exposuit. vt sit sensus *Tibi, non mihi tempus perit.*

An tali studeam calamo? [1] *Cui verba?* [2] *quid istas*
Succinis ambages? tibi [3] *luditur: effluis amens.*
Contemnêre.———

Sunt verba desidiosi illius seipsum excusantis, ne quam operam literis daret.

An studeam tali calamo?] .i. an tali calamo possim scribere? [Respondet pædagogus vel condiscipulus. *cui verba?*] .i. ô miser, cuinam verba te daturum putas? an me præceptorem vel sodalem tuum decipere posse speras? [*quid succinis istas ambages?*] .i. quid in aurem mihi garris confingísque istos verborum circuitus & vanas tergiuersationes? [*tibi luditur:*] .i. quum tales excusationes tuæ inertiæ comminisceris, non me, sed teipsum fallis. Nam res tua agitur non mea: [*effluis amens.*] .i. ô stollide, tibi tempus miserè effluit, & nihil agendo tu senescis, quapropter [*contemnêre.*] .i. omnibus eris contemptui. Horat. *Contemnêre miser, vitanda est improba Syren Desidia.*———

1 Surdum, dissonum & obscurum crepitum reddit.
2 Ex luto minùs idoneo, nec satis cocto.
3 *Fidelia*, est vas Samium, fictile, sic dicta quòd re-

———*sonat vitium percussa,* [1] *malignè*
Respondet [2] *viridi non cocta* [3] *fidelia limo.*
Vdum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine [4] *rota.*——

Perstat in Allegoriâ. Quemadmodum vasa fictilia malè cocta, si digito percutias, sonitu sua indicant vitia: similimè

similimè & tu, o amens, ex ijs quę loqueris & facis, tuam prodis excordem oscitantiam & ignauiam, licèt in calamum & atramentum culpam transferre coneris.

Fidelia percussa sonat vitium].i. vas fictile emptoris digito pulsatum rimas & vitia sonitu indicat, [*non cocta viridi limo respondet malignè.*] .i. & fidelia ex argillâ recenti composita, nisi benè cocta sit, raucum & fractum reddit sonitum. [*tu es vdum & molle lutum,*] i. ô puer, tu similis es humido & molli luto, quod nullius vasis formam adhuc accepit, [*nunc nunc properandus, & fingendus acri rotâ sine fine.*] .i. nunc in pueritiâ vel adolescentiâ tuâ, dum adhuc satis flexibilis, bonis artibus diligenter es informandus, ac disciplinâ seueriori sine morâ coërcendus.

condita seruet fideliter. Persius alibi. *Disce, nec inuideas, quòd multa fidelia putet In locuplete penu.*——

4 *Rota* ab Anacharsi inuenta, est figuli instrumentum, cuius circuitu vasa fictilia formantur. per *acrem rotam*, poëta intelligit seueram disciplinam, tum scilicet vsurpandam, quando pueri nolunt aliter doceri.

——sed rure [1] paterno
Est tibi far [2] modicum, purum & sine labe [3] salinum.
Quid metuas? cultrixque foci secura [4] patella est.
Hoc satis? an deceat pulmonem [5] rumpere ventis,
[6] Stemmate quòd Thusco [7] ramum millesime ducis,
[8] Censorém-ue tuum vel quòd [9] trabeate salutas?
Ad populum [10] phaleras. [11] ego te intus & in cute noui.

Quoniam iste ignauus in sui excusationem posset dicere, se idcircò studijs & honestis disciplinis nolle inuigilare, propterea quòd multę facultates illi à maioribus obtigerant, vnde liberaliter victitet, atque eam ob causam libros & literarum studia pauperibus relinquat: Persius igitur per Antipophorã tacitę eius obiectioni occurrit, dicens id non sufficere, si animus introrsus vitijs laboret, et præsertim qui malè vsurus est paratis.

1 In agello non conductitio, sed iure hæreditario, tibi relicto.

2 Ad modum & mensuram. *Modicum* propriè dicitur non cui aliquid sit imminutum, sed quod non excedat modum. *Modicum* etiam significat parum ac pusillum. Apul. *Modico labore fatigatur, Modici,* quoque sunt pauci. Plautus. *In angiportu turba est, domum modici introierunt.* Nota quod *far modicum*, in hoc loco significat mediocres diuitias, per Synech-

sed

sed far modicum est tibi rure paterno,] .i. tu mihi obiectas, inquit Persius, quòd ex paternis agris tantum frumenti colligis, quantum satis tibi sit & tuæ familiæ ad victum? [deinde dicis, *quod salinum purum & sine labe est tibi,*] i. quòd habes salinum argenteum sine vllis sordibus, [*quid metuas?*] .i. cùm adeò diues es & opulentus, cur sis sollicitus ad animum literis & virtute imbuendum? quid metuas paupertatem? [obijcis etiam *quòd patella secura cultrix foci est tibi.*] .i. quòd tu habes patellam quæ te securum faciat, quâ possis focum.i.lares colere, in focis penetralibus. [*hoc satis?*] .i. ô piger, túne hoc ad vitam beatam satis esse putas? [*an deceat rumpere pulmonem ventis?*] .i. an te deceat fastu turgescere & bonarum literarum studia aspernari, ob maiorum tuorum nobilitatem? [*quòd millesime ducis ramum stemmate Thusco,*] .i quòd tu in lineâ successionis millesimus, affinitatem tuam & originem ducis ex antiquâ nobilíque Hetruscorum familiâ, [*vel quòd salutas Censorem tuum, vel quòd trabeate salutas?*] .i. vel, nunquid superbus es, quòd in equitum Romanorum recensione, tu Censorem salutas ex genere tuo, aut quia tu trabeâ veste amictus, ex equo nitido quempiam salutas? [*ad populum phaleras*] .i. hæc externa diuitiarum & nobilitatis ornamenta, rudi vulgo ostenta, non mihi. [*ego noui te intus* & *in cute.*] .i. me fallere non potes, ego enim perspicio quàm sis turpis introrsus, & video etiam, qui sis in superficie & externis velamentis.

dochen speciei.

3 *Salinum* non spurcatum neque nigredine deforme. *salinum* autem, est vasculum, in quo sal reponitur, cùm ad mensæ vsum, tum ad sacrificia paratum. poëta intelligit victum tenuem & sufficientem, & nitidam supellectilem. sic Horat. *Splendet in mensâ tenue salinum.*

4 *Patella* à *patina*, est vas latum sacrificijs aptum. ponitur hìc pro omni supellectile quæ hunc desidiosum reddat securum & de nulla re anxium.

5 Magnum spirare & superbum fieri ob diuitias & generis claritatem, quod vitio dandum est. *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.*—— Ouid. *Satiùs est meis gestis florere, quam maiorum opinione niti, & ita viuere, vt ego sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Cic. contra Salustium.

6 *Stemma* significat coronam vel ornamentum, quod ex multis floribus est compositum; significat etiam claram familiam in quâ insignes viri, vt in sertis flores, elucescant. Iuuenal. *Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo Sanguine censeri?* ——— Hîc verò ponitur pro gradibus generis & ordinibus descendentium, qui ramis quibusdam & velut lineis intercurrentibus distinguebantur. 7 Stemma, lineam, scalam. 8 Statuam Censoris qui censuram gesserat. Romæ quinto quoquo anno duo creabantur. τιμητὰς Græci vocant, penes quos, morum disciplinæque regimen erat. vide Plutarch. in Æmilio, & in vitâ Catonis. Cic. lib. III de legibus. 9 Vocatiuus pro Nominatiuo. *Trabea* genus vestis est, cuius etiam tria sunt genera, vnum quod dijs sacratur, tantùm de purpurâ, a-

lius

lud purpureum, quod habet aliquid albi, tertium augurale, ex purpurâ & cocco mixtum. Hinc *trabeati* vocantur, qui trabeâ sunt induti. 10 Metaph. est sumpta ab equis. Nam *phaleræ* sunt ornamenta equorum, ἀπὸ τῶ φάλου i. à scutellâ paruâ splendidâ in equorum pectore. 11 Ego scio te vitijs esse intrinsecus refertum, quicquid fingas.

Non pudet ad morem [1] discincti viuere [2] Nattæ?
Sed [3] stupet hic vitio, & fibris increuit opimum
[4] Pingue; [5] caret culpâ; nescit quid perdat & [6] alto
Demersus, summâ rursus [7] non bullit in vndâ.

Mirus est Persii ardor in hunc flagitiosum adolescentem.

Non pudet viuere ad morem Nattæ discincti?] .i. Nónne te pudet (ô adolescens) maiorum tuorum gloriâ efferri, atque interim nullâ honestatis ratione habitâ, viuere ad similitudinem Nattæ dissoluti & ignobilis? [*sed hic stupet vitio,*] .i. sed iste Natta videtur excusatione dignus, qui cùm habitum malitiæ malè viuendo sibi contraxerit, iam peccandi consuetudine vel naturæ vitio, factus est stupidus, nec ampliùs sentit se peccare, [*& pingue opimum increuit fibris,*] .i. & pinguedo crassa eius præcordia sic occupauit, vt ex ignorantiâ iam peccet, [quapropter, *caret culpâ*] i. deploratus ille Natta quodammodò carere culpâ iudicandus est; [*nescit quid perdat,*] .i. ipse quasi sensus expers, nescit qualium quantarúmque rerum iacturam faciat, [& *demersus alto, non bullit rursus in summâ vndâ.*] .i. & scelerum barathro submersus, non potest ampliùs emergere & ad sanam mentem reuerti.

1 *Discinctus* hic accipitur Metaphoricè à veste laxâ, pro dissoluto, luxurioso, & intemperante. Nam, *discingi* ferè mollitiem & turpitudinem quandam significat. vndè proverbium. DISCINCTA *vestis, discinctus animus.*

2 *Nattam* vel *Nacam,* sunt qui intelligunt hominem fuisse ignobilem & sordidum, idque probant ex Horat. Satyr. VI.—— *vngor oliuo, Non, quo fraudatis immundus Natta lucernis.* Alij probant ex Cicerone pro Muræna, cũ claris parentibus ortũ. *Non igitur si L. Natta summo loco adolescens, qui & quo animo sit, & qualis vir futurus sit, videmus,* &c. Probabile est, à Persio *Nattam* nobilis familiæ adolescentem sed nebulonem hic notari. nam vt ex optimo patre improbissimus sæpè nascitur filius: sic ex nobili & honestâ familiâ turpis aliquando & infamis exoritur. 3 *Stupere,* significat quodammodò sensum rerum non habere. Cornel. Celsus. lib. III. Cap. XXVI. stupidos appellat *attonitos,* quorum & corpus & mens stupet. fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. 4 *Pingue* ponitur Substantiuè pro pinguedine. sic *densum pingue* apud Virg. 5 An culpâ caret, qui per ignorantiam peccat? minimè verò. præsertim si ipse

sit

ſit cauſa ſuæ ignorantiæ, Baſilius. *Qui non ex voluntate delinquit, is fortè aliquâ dignabitur veniâ. qui autem ex propoſito peiora elegit, nullam habet excuſationem, quin multiplici pœnâ afficiatur.* 6 Quaſi profundo mari obrutus, ad ſuperiora exurgere non poteſt. i. non poteſt ad arduam virtutis viam & bonos mores reuocari. 7 Non curat ebullire & ex vitijs emergere.

Magne pater diuûm, ſæuos punire [1] *tyrannos*
[2] *Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido*
Mouerit [3] *ingenium, feruenti* [4] *tincta veneno;*
Virtutem videant, [5] *intabeſcántque relictâ.*

Perſius Deum rogat, vt non aliâ pœnâ afficiat malos qui virtutem & honeſtas artes ſecuro animo contemnunt, quàm vt virtutis pulchritudinem in alijs videant, atq; illam à ſe ſuis vitijs relictam cognoſcentes, animi cruciatu & mærore contabeſcant.

Magne pater diuûm, velis punire ſæuos tyrannos non aliâ ratione, cùm dira libido tincta feruenti veneno mouerit ingenium,].i. O optime & maxime Iupiter, noli affligere crudeles tyrannos grauiore pœnâ, cùm effrænata cupiditas illorum animum commouerit, quàm [*vt videant virtutem, intabeſcántque relictâ.*] .i. quàm vt in alijs videant virtutis ſplendorem, atque vt tabe quadam præ triſtitiâ conſumantur, quia virtutem ipſi reliquerunt.

1 *Tyrannus* apud veteres in bonam partem dicebatur Dominus, qui plenam habebat in ſubditos poteſtatem. Virg. *Pars mihi pacis erat dextram tetigiſſe tyranni.* ſed creſcente malitiâ cùm ſuperbè Reges regnare cæpiſſent, *Tyranni* nomen ad eos ſolùm reſtrictum eſt, qui per inſolentiam contra ius & leges, viribus abutebantur.

2 Non alio modo, non diſſimili pœnarum genere. *Ingenium à gignendo,* propriè dicitur natura cuique ingenita. ſic in Terent. *Nam qui cum ingenijs conflictatur eiuſmodi* .i. cum hominibus eiuſdem naturæ. Eſt etiam *Ingenium,* vis quædam naturalis nobis inſita, ſuis viribus præualens ad inueniendum quod rationi indicari poſſit. *Vno* ingenij *nomine* (vt inquit Cicero lib v. de finibus) *appellatur Docilitas & Memoria, eáſque virtutes qui habent,* ingenioſi *vocantur.*
4 Maculata & per iræ feruorem incitata. Eſt Metaph. ducta à lanâ, quæ cùm naturâ ſit candida, colorem quo ſemel infecta eſt, non amittit. Ita ingenium frequenti vitiorum actione fœdatum, vndè mos inoleuit, haud facilè mutatur. *Venenum* pro *colore* accipi teſtatur Virg. *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.* 5 Ad vltimam redigantur maciem ob virtutem relictam. Horat. Ode XXIIII. lib. III. *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quærimus inuidi.* Tunc certè intelligimus quæ ſunt bona, cùm quæ erant in noſtrâ poteſtate quibúſque frui poteramus, ea amiſimus.

mus.

mus iuxta illud Sophocl. Aiace. οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν χεροῖν ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. *Mali bonum in manibus habentes, illud ignorant; vbi amiserunt, tunc cognoscunt.*

An-ne magis Siculi gemuerunt æra [1] *iuuenci?*
Aut magis auratis pendens laquearibus [2] *ensis*
[3] *Purpureas subter ceruices terruit,* [4] *Imus,*
Imus præcipites, quàm si tibi dicat, & [5] *intus*
[6] *Palleat infelix, quod proxima nesciat* [7] *vxor?*

Istiusmodi adolescentes, cùm alijs virtutem inuident, quam ipsi scientes & prudentes flagitiosè contempserunt, conscientiæ furijs magis torquentur, quàm qui in Phalaridis tauro cruciabantur.

An-ne æra Siculi iuuenci gemuerunt magis?] .i. nunquid homines per æneum taurum in Siciliâ à Perillo factum, peiùs torti sunt, quàm quos mala conscientia excarnificat? [& *ensis pendens laquearibus auratis terruit magis purpureas ceruices subter, quàm qui sibi dicat, Imus, imus præcipites, & infelix palleat intus, quod vxor proxima nesciat*] .i. & nunquid gladius de auratis laquearibus dependens, magis exterruit Damoclis purpurati ceruicem sub gladio positum, quàm siquis conscientiæ stimulis afflictus, sibi ipsi intra se dicat, Nos omni salutis spe prorsus destituti, in miseriarum voraginem ferimur præcipites? sic iste desidiosus & infelix Adolescens, scelerum suorum recordatione intus & in animo, id palleat ex timore, quod cum vxore fidelissimâ communicare nesciat. i. detegere erubescat.

1 Perillus faber Atheniensis, ingenio præstans, taurum ex ære tantâ arte fabricauit, vt igne subiecto, qui eius in aluo includebatur, eiulans, mugire putaretur. Hunc taurum Phalaridi Agrigentinorum in Siciliâ Tyranno dedit. *Phalaris* verò factum amplexus sed Authorem execratus, *Perillum* in taurum conijci iussit, vt primus artis suæ periculum faceret. Ouid. *Dixerat & Phalaris, pœnę mirande repertor, Ipse tuum pręsens imbue, dixit, opus.*

2 Intelligit gladium fulgentem è lacunari setâ equinâ appensum, quem Dionysius tyrannus demitti iussit, vt impenderet Damoclis ceruici. Vide Cic. Tusc. lib. v. Historia bene nota est. 3 Damoclis ceruices regio cultu ornati. 4 Gradu irreuocabili præcipitamur in perniciem. 5 Intra se conscius. 6 Pallore concutiatur ex timore, propter virtutem neglectam. Ambros. in Epist. *Nullus maior est dolor, quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam, neque vllum grauius est onus, quàm peccatorum sarcina & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat vsque ad terram, ne se erigere possit. Grauia, fili, grauia nimis delictorum pondera.* 7 Tanto dolore & pudore iste nequam maritus efficitur, vt potiùs velit intus rumpi, quàm scelera sua vxori reuelare. Ouid. *Strangulat inclusus dolor, cor æstuat intus, Lenitur lachrymis, egeriturque dolor.*

Se-

Sæpè oculos memini tangebam paruus [1] oliuo,
Grandia si nollem morituri verba [3] Catonis
Discere, ab [4] insano multùm [5] laudanda magistro,
Quæ pater adductis [6] sudans audiret amicis.

Docet Persius hunc pigrum adolescentem non esse veniâ dignum, quippe qui eo ætatis peruenerat, vt virtutem à vitijs internoscere possit, siquidem in vitio fuit ætas, quæ nondum nouerat rerum discrimina. per ignorantiam igitur peccauit, qua peccantes quodammodo excusari consueuit.

Memini, paruulus sæpè tangebam oculos oliuo,].i. Ego ipse, inquit Persius, sum memor, quòd cùm puer essem, vngebam sæpè meos oculos oleo, quo lippitudinem simulabam, [*si nollem discere verba grandia Catonis morituri*].i. id faciebam, quia discendi tædio nollem ediscere & memoriæ mandare, Declamationem grandibus verbis compositam, quâ vti potuit Cato Vticensis, cùm deliberaret, an sibi mortem consciscere, vel in Cæsaris potestatem veniret, [*multùm laudandæ ab insano magistro,*] Declamationem, inquam, multùm laudandam à magistro meo penè insano ob nimiam vehementiam, quâ nos ad studia extimulabat, [*quæ pater sudans audiret amicis adductis.*] .i. quam Declamationem pater meus præ lætitiâ sudans, audiret, conuocatis alijs amicis, vt qui eandem à me memoriter recitatam, audirent etiam.

1 *Oleum* oculis infusum dolorem excitat, & lippitudinem quandam imitatur ac fingit, quam parentes dum metuunt in filijs, eos à lectione prohibent.

2 Verba Catonis fortitudinem spirantia. *vel*, verba grauia de animi immortalitate.

3 Duo fuere *Catones* celebratissimi, senior videlicet, qui & Censorius dictus est: & alter (de quo hîc intelligit) Vticensis, qui secutus partes Pompeianas, cùm accepisset nuncium, iterum in Africâ, duce Scipione, Pompeianos esse superatos, seipsum Vticæ interfecit, ne in Cæsaris manus viuus veniret. Hic, *Viua virtutum imago* vocatur à Senecâ, & *exemplar viri sapientis.* Augustinus verò & Lactantius eum accusant tanquam sui homicidam 4 *Insanus* est, qui non habet mentem integram, vndè Insania vel Stultitia. Item *insanus*, dicitur *magnus.* Virg. *Insani feriant sine litora fluctus.* Pers — — *insani dicta Catonis.* In hoc loco accipi potest, & debet, pro Magistro nimis seuero & concitato ad curam & institutionem discipuli, à quo subueretur reportare notam indiligentiæ. vel, *ab insano*.i. à clamoso magistro, quia clamosi videntur esse insani. 5 VIRTVS *laudata crescit.* Hinc Quintilianus præcipit, vt Magistri discipulos collaudent, atque in spem, ad summum perueniendi Oratorem erigant. 6 *Sudans* præ lætitiâ, quòd filius tam benè declamaret, *vel,* subfrigidè sudans, præ timore ne filius malè recitaret; *vel,* sudans ob laborem in amicis conuocandis & adducendis ad audiendum filium suum declamantem.

Iure

Iure etenim id ſummũ, quid dexter[1] *ſenio ferret*
Scire, erat in votis, damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier[2] *orcæ;*
Neu quis[3] *callidior buxum torquere*[4] *flagello.*

Tunc *etenim* in illâ ætate meâ puerili, quæ ludicra ſibi vendicat, *iure id ſummum erat in votis ſcire, quid ſenio dexter ferret,*].i. legitimâ ratione id præcipuum erat in deſiderio meo cognoſcere, quid lucri in ludo talario fortunatus ſenio iactus mihi adferret, [*quantum canicula damnoſa raderet,*] .i. & ſcire cupiebam, quantum pecuniæ mihi detraheret canicula illa damnum afferens, [*non fallier collo orcæ anguſtę,*] .i. & ſcire auebam, quâ ratione non poſſem falli anguſtiore orcæ collo, ne damnum ferrem, [*neu quis callidior torquere buxum flagello.*] .i. deniq; hoc ſcire præcipuè affectabam, ne quis ex æqualibus, in totâ ciuitate trochum è buxo meliùs circumageret.

1 *Senio* in talis vel teſſerâ ſex puncta continet, Angl. **a Dice**, cuius iactus fauſtus erat, & iacienti lucrum afferebat; quemadmodùm è contrario, vnum punctum, qui dicitur *canis* vel *canicula*, Angl. **an Ace**, afferebat damnum.
2 *Orca* in hoc loco ſignificat vaſculum in turriculæ figuram conformatum, ex quo tali in tabulam aleatoriam conijciebantur, ne, ſi manu iacerentur, fraus à luſoribus admitteretur. Angl. **Cogging of a Dye.** Horat. Sat. VII. lib. II. appellat *Pyrgum.* 3 Peritior. 4 Turbo vel trochus crebrâ ſcuticæ percuſſione in gyrum vertitur. Angl. **with a Scourg-ſtick.**

Haud tibi inexpertum[1] *curuos deprendere mores,*
Quæque docet ſapiens[2] *braccatis illita Medis*
[3]*Porticus,*[4] *inſomnis quibus*[5] *indetonſa iuuentus*
Inuigilat,[6] *ſiliquis, & grandi paſta*[7] *polentâ.*
Et tibi quæ[8] *Samios diduxit litera ramos,*
Surgentem dextro monſtrauit limite callem.

Hæc ego (inquit didaſcalus vel condiſcipulus) cùm puerili ætate perpetrauerim, certè veniam merentur; at tu, ô piger, qui æuo grandior es, & qui iam philoſophis operam dare cæpiſti nullam potes excuſationem prætendere.

Nam, haud inexpertum tibi deprendere mores curuos,] i. ex philoſophiæ ſtudio, haud incognitum tibi eſt, malos

1 Malos mores à rectâ ratione detortos.
2 *Medi* populi ſunt in Aſiâ, ſic dicti à Medo, Medeæ & Ægei Athenienſium regis filio. *Braccatos* appellat Perſius, quia Medi braccis, indumentis ſc. fluxis ac vario lumine fulgentibus operiebantur. Eiuſmodi enim vtebantur frigidioris plagæ gentes. Ouid.

malos mores à bonis discernere, [& *quæ porticus sapiens illita Medis braccatis docet,*] .i. nec te latet, quæ & qualia præcepta docet sapiens Stoicorum schola, in quâ depicti sunt Medi braccati cum Atheniensibus pugnantes, [*quibus iuuentus insomnis & indetonsa pasta siliquis atque polentâ grandi inuigilat.*] .i. quibus vitæ præceptis, iuuenes (Stoicorum discipuli) vigiles & ad cutem tonsi, fabarum siliquis & crassâ polentâ nutriti, dant operam. [& *litera quæ diduxit ramos Samios, monstrauit tibi callem surgentem limite dextro.*] i. nec via virtutis tibi est incognita, Nam, litera Pythagoræ Samij, quæ duos ramos diuisit, monstrauit tibi angustam & arduam virtutis viam, dextro limite in sublime tendentem, ideóque veniâ indignus videris.

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis. Ambros. lib. I. de Officijs. *Sacerdotes* (inquit) *veteri more braccas accipiebant, sicut & Mosi dictum est à domino. Et facies illis braccas lineas, vt tegatur turpitudo pudoris, à lumbis vsque ad femora erunt.* Vocantur etiam alijs nominibus, sc. Subligaria vel Subligacula. Anglicè, **Breeches, or Sloppes.** 3 Fuit *porticus* Athenis *Pœcile* vocata, quam Polygnotus pictor præclarissimus gratuitò pinxerat. Illic illita siue depicta fuit pugna Marathonia, quæ duce Miltiade pugnata est aduersus Xerxen Persarum & Medorum regem. In hac autem porticu (quæ Græcè dicitur στοά) Zeno philosophus discipulos docebat, vndè Stoicorum secta nomen suum desumpsit. 4 Iuuentus vigilans & somni nescia.i. iuuenes qui noctè dièque studijs incumbunt. 5 Non tonsa, more veterum Romanorum, qui capillos nutriebant. Virg. *Ora puer primâ signans intonsa iuuentâ.* Innuit Persius quòd philosophiæ studiosi in ætate adhuc floridâ comam non compserint, sed laudabili incuriâ fluere aliquatenus permiserint. 6 *Siliqua* est fructus arboris quam Græci κεράτιον vocant, de quo Plin. lib. XV. cap. XXIV. —— *viuit siliquis & pane secundo.* Horat. lib. II. Epist. Per *siliquas* intelligit legumina & cibum viliorem. Est etiam *siliqua* illud, quo grana leguminum teguntur. 7 *Polenta* sic fit. Hordeum aquâ perfusum siccant noctè vnâ, postero die frigunt, deindè molis frangunt seruántque in multos dies. vndè in Iosue scribitur, *Et comederunt de frugibus terræ die altero, & azymos panes, & polentam eiusdem anni.* Ouid. genere neutro *Polenta* dixit in illo versu. *Dulce dedit testâ quod coxerat antè polenta.* Nota obiter, quòd Persius tria hic memorat bonarum artium studijs necessaria, sc. vigilantiam, cutis expoliendæ negligentiam, & victus frugalitatem. Hinc etiam patet (quod benè notat Clauerius) homines literis & præsertim sapientiæ deditos, minùs fuisse carniuoros. Ouid. XV. Metamor. *Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi, Congestóque auidum pinguescere corpore corpus, Alteriúsque animantem animantis viuere letho.* 8 Pythagoras ortu Samius fuit, ex Samo Insulâ Ioniæ. Is per Y literam quæ in duos ramos diuiditur, monstrauit nobis duas esse propositas vitæ vias, nempè dextram arduam & difficilem, quæ nos ad virtutem inuitaret : & sinistram, latam & amplam, vitijs patentem, de qua

Virg. Epigramma, *Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni, Humanæ vitæ speciem præferre videtur*, &c. 9 Dexter ille ramus, qui viam virtutis denotat, altè & in sublime se attollit.

Stertis adhuc? laxúmque caput compage [1] *solutâ*
[2] *Oscitat hesternum, dissutis vndique* [3] *malis?*

O hominum ignauissime, cùm ætate iam sis grandi, & hæc omnia noueris,, ita vt neque pueritiam neque inscitiam prætendere possis, an

Stertis adhuc?] .i. an profundè dormis & adhuc piger es ad humaniora studia capessenda? [*laxúmque caput compage solutâ oscitat hesternum?*] .i. án ne caput tuum ex nimiâ somnolentiâ dissolutum, & compage labiorum diductâ, oscitando euaporat hesternam crapulam? [*malis dissutis vndique.*] .i. malarum iuncturis ex omni parte laxatis.

1 Compagibus & neruis tui capitis quasi solutis.
2 *Oscitare*, propriè significat totum os aperire. Oscitatio autem somnolentis & otiosis maximè contingit, quæ cum toto corpore fit, *Pandiculatio* vocatur. Oscitatio, plerunque ex otio & animi securitate prouenit. Terent in Andriâ. *sperans iam amoto metu interea oscitantes opprimi.* 3 Malis quasi dissutis & ab vtraque parte laxatis. *Mala, æ*, est pars faciei, sic dicta, quòd rotundam speciem mali præ se ferat.

Est aliquid quò tendis, & in quo dirigis [1] *arcum?*
An passim sequeris [2] *coruos,* [3] *testáque lutóque*
Securus quò pes ferat, atque [4] *ex tempore viuis?*

Cùm constituendum sit vitæ genus, qui, & quales esse velimus, vt benè notat. Cic. 1. Offic.

Est aliquid quò tendis, & in quo dirigis arcum?] .i. Est ne certus aliquis vitæ scopus tibi propositus ad quem omnes tuas actiones & animi impetum referas? [*an passim sequeris coruos, testáque lutóque,*] .i. an more infantium nihil pensi habens de futuro, sequeris coruos cum lapillis & terræ globulis huc illuc cursitans? [*securus quò pes ferat?*] .i. parùm sollicitus ad quem locum te pedes ferant? [*atque ex tempore viuis?*] .i. atque viuis more dissolutorum sine prouidentiâ, vt tempora sese tibi offerunt sine vllâ futuri cautione.

1 Animum tuum. Metaph. sumpta à sagittarijs, qui signum ad quod collineant & iacula dirigunt sibi constituunt.
2 Incertum coruorum volatum, quos pueri plerunque ita stultè insequuntur, vt in puteum aliquem foueámue incidant.
3 *Testa*, hoc loco ponitur pro lapillis, quos Græci *Ostracos* appellant. *Testa* etiam significat frustrum vasis fictilis & cuiusque lateris. *Testa* quoque est vas figulinum in igne decoctum. *Testæ* intelliguntur omnes

nes piſces qui duriori cortice teguntur. Horat. *ſed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ.* 4 Ex temporo viuere, eſt in diem viuere, ſine prouidentiâ, ſine omni futurorum ſollicitudine.

[1] Elleborum fruſtrà, [2] cùm iam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas: VENIENTI occurrite morbo.

Perſius iuuenes monet animi morbis maturè occurrere, ne cùm radices egerint, ægriùs euellantur.

Videas poſcentes elleborum fruſtrà, cùm iam cutis ægra tumebit:] .i. quilibet videre poſſit, homines ſerò remedia poſcere, quando cutis hydrope tacta inflabitur: [ergô, *Occurrite morbo venienti.*] .i. vitijs pullulantibus in tempore obſtate.

1 *Ellebori* duo ſunt genera, album & nigrum. Nigrum appellatur *Melampodium,* quoniam caprarum paſtor nomine Melampus furentes in ſe Prœtidas primus purgaſſe & ſanaſſe fertur. Prodeſt morbis comitialibus, melancholicis inſanientibus, articularijs doloribus & reſolutis. Dioſco. lib. I V. cap. c. X L V I. 2 Quum quiſpiam hydrope laborauerit. 3 PHARMACA *naſcenti ſunt adhibenda malo.* Theognis. OPPRIME *dum noua ſunt ſubiti mala ſemina morbi.* Ouid. Inueterata difficiliùs curantur, vt inquit Seneca.

Et quid opus [1] Cratero magnos promittere mõtes?
Diſcitéque ô miſeri, & [2] cauſas cognoſcite rerum,
[3] Quid ſumus, [4] aut quidnam victuri gignimur, [5] ordo
Quis datus, aut [6] metæ quàm mollis flexus, & [7] vnde;
[8] Quis modus argento, [9] quid fas optare, quid [10] aſper
Vtile nummus habet, [11] patriæ, chariſque propinquis
Quantum elargiri deceat, [12] quem te Deus eſſe
Iuſſit, [13] & humanâ quâ parte locatus es in re.

Cùm vitijs ſis ita in ſenectute obrutus, vt ad virtutem nunquam redire poſſis, non aliter quàm ſi corporis tui valetudo ſit prorſus deplorata.

1 Fuit *Craterus,* Medicus Augusti temporibus nobiliſſimus, de quo M. Tull. lib. X I I. ad Atticum, *Commouet me Attica, etſi aſſentior Cratero.* de quo etiam Horat. lib. I I. Sat. I I I. — — *Craterum dixiſſe putato.* De huius ſeruo ſic ſcribit Porphirius Tyrius lib. I. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. *Crateri autem medici ſeruus nouo &*

Qui

Quid opus promittere montes magnos Cratero?] .i. quid prodest magnos auri montes & præmia ampla Cratero medico polliceri, vbi iam sis desperatæ valetudini? [*ô miseri discite iam,*] .i. ô infelices adolescentes, qui honestis studijs iam in tenera ætate animos vestros non conformatis, discite quid ignoratis, sc. liberales artes & scientias, [*& cognoscite rerum causas,*] .i. & ex naturali philosophiâ inquirite rerum principia, [*quid sumus,*] .i. quòd sumus rationis participes & mortales, [*aut quidnam victuri gignimur,*] .i. ad quem vsum nati sumus, [*quis ordo datus,*] .i. quis viuendi ordo nobis à deo præscribitur, [*aut quam mollis flexus metæ,*] .i. quàm facilis sit via vitæ nostræ regendæ atque moderandæ, si operam dederimus, [*& vnde;*] .i. & quàm facilis sit flexus & declinatio huius vndantis & fluctuantis vitæ, [*quis modus argento,*] .i. quæ mensura pecunijs conquirendis & erogandis sit statuenda, [*quid fas optare.*] .i. quid sit æquum à Dijs petere, [*quid vtile asper nummus habet;*] .i quid commodi adfert nummus recens cusus, [*quantum deceat elargiri patriæ charisque propinquis;*] .i. quantum ex diuitijs tuis dare & impendere debeas patriæ, parentibus, cognatis & vicinis, [*quem Deus iussit te esse,*] .i. qualem te Deus esse voluit, [*& in humanâ re quâ parte es locatus.*] .i. & in quo gradu & rerum conditione à Deo constitutus es.

insusitato morbo affectus, nempè carne ab ossibus diuulsâ ac distractâ, pharmacis quidem nihilo meliùs se habuit, sed viperâ in piscem conformatâ & comesâ, conualuit, carne de integro conglutinatâ.

2 Virg. Georg. II. *Fælix qui potuit rerum cognoscere causas.* Poëta fortasse intelligit causas finales, ob quas quæque res sunt conditæ. *Vel*, primam causam, qua mouemur, quâ spiramus.

3 PVLVIS & *vmbra sumus,* φλάσμα καὶ σκία μόνον, *breuis ætatis & fragilis vitæ.*

4 *Creauit vel fecit Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo vteretur.* Augustinus.
5 Quo ordine vita cuiusque sit instituenda, nimirum vt honestè viuamus, neminem lædamus, ius suum cuique tribuamus. 6 *Meta*, est terminus ad quem curritur, & cum illic peruentum sit, oportet vt circa ipsam benè & molliter flectatur, ne per imperitiam rota metæ impacta frangatur. Cùm autem vita nostra sit quasi cursus aut peregrinatio, poëta per *mollem metæ flexum*, intelligit facilem & expeditam rationem vitæ nostræ regendæ, si in ipso flexu vtamur industriâ, sin minùs, metæ tactus periculosus erat. 7 Sunt qui volunt hanc dictionem (*vnde*) non esse nomen genitiui casus, sed esse Aduerbium *vndè*, vt sit sensus, Discite ô miseri, à quo principio deuenimus. sc. à mortalibus, ergo mortales sumus. Ego verò cum argutis huius poëtæ interpretibus sentio, poëtam alludere ad eam metam quæ in naumachiâ est constituta, ad quam subitò nauis esset conuertenda, de quo Virg. in v. Æneid. *Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam Constituit, signum nautis, pater: vndè reuerti Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.* & sanè vndoso freto optimè comparatur hæc vita,

cuius fluctus ingenio & agilitate potiùs eluduntur & superantur, quàm violentâ quadam obstinatione. Ouid. *Obsequio tranantur aquæ, nec vincere possis Flumina, si contrà, quàm rapit vnda, nates.* 8 Quantum argenti nostris vsibus sufficiat, vt rectè tantum quæramus & vsurpemus. 9 Hoc ideò dicit Persius, quia pauci sunt, qui quid sit optandum, cognoscunt. 10 Hanc vtilitatem habet nummus, vt partim nobis, partim alijs prodesse possimus. qui dicitur *Asper* ob literas & figuras recèns impressas, *Vel*, quia nummus bella aspera mouet, ac inter consanguineos dissidia serit. De cuius vtilitate audi Petronium Persio aduersantem. *Quisquis habet nummos securâ nauigat aurâ, Fortunámque suo temperet arbitrio. Multa loquor, quiduis nummis præsentibus opta, Eueniet, clausum continet arca Iouem.* Græci nummum νόμισμα appellant, quia, cùm ante pecuniam inuentam permutatione solerent vti, vsus nummi per legem introductus est. Plautus pecuniam vocat *animam*, quia est rerum omnium anima & negotiorum agendorum neruus. 11 *Omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere? M. Tull. Off. 1.* DVLCE & *decorum est pro patriâ mori.* Horat. Od. 11. lib. 111. 12 Fac memineris Deum velle, quòd sis bonus & iustus eiusque præceptis diligenter obtemperare. 13 Disce quam sortem inter homines obtines, an natus sis ad imperandum vel seruiendum, ne plus minúsue facias, quàm tua ferat conditio.

1 *Fidelia* est vas Samium ad vsus plurimos, sic dicta, quòd infusa fideliter contineat.
2 *Penus*, significat omne, siue esculentum sit, siue poculentum, quod victus gratiâ conditur & seruatur. Hîc verò ponitur pro cellâ penuariâ per Metony. adiuncti.
3 *Vmbri* erant populi Italiæ antiquissimi, quos poëta *pingues* appellat, vel quia diuites, vel quia obesi erant & ingenio tardi.

Disce: neque inuideas, quòd multa [1] *fidelia putet*
In locuplete [2] *penu, defensis pinguibus* [3] *Vmbris,*
Et piper, & [4] *pernæ* [5] *Marsi* [6] *monumenta* [7] *clientis,*
[8] *Mænáque quòd primâ nondum defecerit* [9] *orcâ.*

Disce inquam, omnia superiora quæ dixi & tuâ sorte contentus viue, *neque inuideas,*] .i. neque mouearis desiderio vicinæ sortis, [*quòd multa fidelia putet in locuplete penu,*] .i. quòd multæ fideliæ omni ciborum genere plenæ, fœteant & rancescant in locupletis Causidici penario, [*defensis pinguibus Vmbris,*] .i. qui quidem Iurisconsultus eadem cibaria dono acceperat à clientibus, (sc. pinguibus & obesis Vmbris) quos ille in iudicio defenderat, [*& piper, & pernæ, mænáque, monumenta Marsi clientis, nondum defecerit orcâ primâ.*] .i. neque inuidiâ afficiare, quòd

in cellâ penuariâ Iuridicorum Romanorum, & piper & pernæ (munera Marsi clientis) non deficiant, sed in summâ abundantiâ inueniantur, denique non inuideas, quòd ibi piscis *Mæna* dono etiam datus nondum defecerit, in priore vase salsamentario, cùm posteriora donarentur. Anglicè **because the former fish was not spent, when other was giuen.**

4 *Pernæ* dicuntur tam priores quàm posteriores coxæ porcinæ cum toto pede, quas Martialis *petasones* appellat. sale enim conditæ seruantur ad tempus in ædibus diuitum. Anglicè **Gammons of bacon.** 5 Consultoris qui lites sequitur. de gente Marsorum, qui populi erant Apuliæ Samnitibus finitimi. 6 *Monumenta* dicuntur, quæcunque relinquuntur ad memoriam. Clientes ergó vt patronum officij moneant, aliquid donabunt, vt illi ex memoriâ non excidant. 7 *Cliens* est correlatiuum patroni. nam patronus est causæ defensor, cliens autem defensione indigens .i. litigator qui patronum colit & sequitur. 8 *Mæna*, est breuis piscis marinus, qui candidus hyeme, æstate fit nigrior. Latinè alecula. Anglicè **a Pilchar.** 9 Vas salsamentarium collo angusto, cuiusmodi etiam nunc seruandis thynnis vsurpatur.

Heic aliquis de gente [1] *hircosâ* [2] *Centurionum,*
Dicat, [3] *Quod satis est, sapio mihi : non ego curo*
Esse quod [4] *Arcesilas, ærumnosique* [5] *Solones,*
[6] *Obstipo capite, &* [7] *figentes lumine terram,*
Murmura cùm secum, & [8] *rabiosa silentia rodunt,*
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
[9] *Ægroti veteris meditantes somnia :* [10] gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
[11] *Hoc est, quòd palles? cur quis non* [12] *prandeat, hoc est.*

1 Quia multi sunt milites verè generosi & nobiles, & qui virtute sibi innatâ sunt valdè conspicui, non mihi placet gentem militarem istic à Persio *hircosam* appellari, quatenus hæc Dictio aliquando signat libidinosos, neque velim vt milites habeantur pro squallidis & graue olentibus, quia *hircus* etiam significat fætorem sub alis : sed potiùs per *gentem hircosam*, intelligi debet, Gens pilosa, hirsuta, hispida, & ob hoc, virilis.

Persius iam occurrit inani obiectioni quorundam militum planè crudorum ac barbarorum, qui virtutis præcepta subsannant & philosophos derident.

Hic aliquis de gente hircosâ centurionum, dicat, sapio, quod satis est mihi :] .i. hoc loco quispiam de olido & hirsuto militum genere, ægrè ferens hanc meam admonitionem, Respondeat mihi, ac dicat, ô Persi, Ego in rebus meis satis sapiens sum : [*non ego curo esse quod Arcesilas, ærumnosiqué Solones,*] .i. Ego non desidero philosophus esse, qualis fuit Arcesilas, qualésque

fuerunt alij philoſophi, Solonis ſimiles, ærumnarum pleni, [& *obſtipo capite figentes terram lumine,*] i. qui caput in humerum incuruant, & oculos in terram figunt, [*cùm ſecum rodunt murmura & ſilentia rabioſa,*] .i. quando intra ſuos dentes verſant ſuſurros, & intra ſe contentioſa agitantes, velut canes rabidi ſilent & mordent, [*atque trutinantur verba labello exporrecto,*] atque verba quaſi trutinâ curioſè penſitant labris extenſis, [*meditantes ſomnia ægroti veteris :*] .i. ſecum meditantes nugas & figmenta alicuius ægroti & veteris philoſophi, qualia ſunt hæc : [*Nihil gigni de nihilo, nil poſſe reuerti in nihilum.*] i. quòd ex nihilo nihil fit, & quòd nulla res in nihilum poteſt reuerti. [*hoc eſt quòd palles ?*] .i. Hæ ſunt nugæ (inquit Centurio) ob quarum ſcientiam tu, ô philoſophe, nimio ſtudio pallorem tibi contrahis ? [*hoc eſt, cur quis non prandeat ?*] .i. hæc ſunt deliria, quibus vt intentiùs inuigilent, multi à cibo abſtinent ?

Nam vt benè Iuuenalis. *Hiſpida membra quidem & duræ per brachia ſetæ, Promittunt atrocem animum.* —— 2 *Centurio* dicitur, qui centum peditibus præeſt. Hîc verò *Centuriones* ponuntur pro militibus. 3 Quod mihi abundè ſufficit. 4 Inter multos hoc nomine vocatos, fuit vnus *Arceſilas* philoſophus Academicus (de quo hîc intelligitur) ex Pitanâ ciuitate Æolicâ oriundus, Crantoris diſcipulus, qui cùm nihil omninò ſciri affirmârit, à Lactantio dictus eſt, *Ignorantię Magiſter*, à Cicerone, *Philoſophię euerſor.* Obijt autem cùm merum immodicè hauſiſſet, Anno ætatis ſuæ LXXV. 5 Eſt Synecdoche ſpeciei, pro genere. *Solones* pro philoſophis Soloni ſimilibus, qui quidem ab hircosâ illâ militum gente, dicuntur *ærumnoſi*, quia ad ſapientiam conſequendam, multas ærumnas & labores ſuſtinebant. *Solon* autem Salaminus, vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, claruit Athenis circa æuum Tarquinij priſci Romæ regnantis. 6 Capite in humerum inclinato, vel in vnũ latus retorto, qui geſtus eſt hominis cogitabundi, & attentiùs quid apud ſe meditantis. Sic etiam hypocritæ ſæpiùs incedunt. 7 Oculorum lumine terram intuentes. *vel*, eſt Hypallage, pro, figentes lumina in terrâ. 8 Quando cum ſilentio meditationes ſuas ſecũ rodunt, de quibus poſtea contentioſè diſputaturi ſunt. Eſt Metaph. ducta à canibus, quibus oſſa dentibus atteruntur. ſeu potiùs ſumpta à cane rabioſo, qui rabie correptus ſilet. Paulus Ægineta lib. v. cap. iii. 9 Tanquam ſenis valetudinarij ſomnia. i. ridicula & nugacia, quæ philoſophi ſecum diſputant. Horat. de Arte poët. —— *velut ægri ſomnia vanæ Fingantur ſpecies.* —— 10 Hæc opinio, *Ex nihilo aliquid fieri*, omnes (inquit Ariſtoteles) perterruit philoſophos, cùm de mundi creatione loquerentur : ſed Chriſtiani credunt, tuentur, & verè defendunt, DEVM omnia ex nihilo creaſſe. 11 Hoc philoſophiæ ſtudium in causâ eſt, ô Perſi, quòd ita palleas ? ait hircoſus ille miles. 12 Ciborum ingurgitatio literarum ſtudijs eſt inimica. vnde illud Iuuenalis. —— *fuit vtile multis, Pallere & vinum toto neſcire Decembri.*

He

Hos populus ridet, multúmque [1] torosa iuuentus
Ingeminat [2] tremulos [3] naso crispante cachinnos.

Hactenus hircosus Centurio contra philosophos & literarum studia. cui statim respondet Persius.

Populus ridet hos, & iuuentus multùm torosa ingeminat chachinnos tremulos.] .i. Imperita multitudo hos philosophos habet ludibrio, & iuuenes Romani valdè robusti, immoderatos risus ob hæc talia multiplicantes, hos etiam subsannant, naso quidem in rugas contracto.

1 *Toros* appellamus pulpam carnis musculosam, in quâ est robur & firmitudo, vndè *torosus* deriuatur. Hieronimus Diaconum taxat, cui taurina ceruix esset toris adipeis intumescens.
2 *Tremulus chachinnus*, est risus immoderatus, quo corpus concutitur & tremit.
3 Sedes risus est in naribus.

Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus & ægris
Faucibus exuberat grauis [1] halitus, inspice sodes,
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit [2] nox currere [3] venas,
De maiore domo modicum sitiente [4] lagenâ
Lenia [5] loturo sibi [6] Surrentina rogauit.

Tu ô Centurio hircose (inquit Persius) *qui corporis voluptates domare non potes, sed ijs succumbis: similis tu quidem es ægroto qui medicum accersens, sic eum alloquitur,*

Inspice:] .i. ô Medice considera & pulsum meum tange: [*nescio quid trepidat mihi pectus,*] .i. malè me habeo, sed nescio quam ob causam cor mihi palpitat, [*& halitus grauis exuberat faucibus ægris,*] .i. & halitus difficilis & malè olens, ex ægris meis faucibus affatim exit, [*qui dicit medico inspice sodes,*] .i ægrotus, qui ita medico suo dicit, quæso ô amice perpende quid morbi sit, [*iussus requiescere,*] .i. à medico suo iussus, vt abstineat à labore, à certis cibis, vino & balneis, atque in lecto iacere in quartum vsque diem, tamen [*postquam tertia nox vidit venas currere compositas,*]

1 *Halitus* teter & insuauis, ab ijs emittitur, qui stomachi cruditate laborant.
2 Metonymia adiuncti pro subiecto. *Nox tertia* pro ægroto qui tertiâ nocte vbi febrem non reuerti vidit, quartum diem, non vt medicus præcepit, expectat, sed balnea, luxum & crapulam repetens, in vitæ exitium incidit.
3 Arterias temperie aliquâ mobiles & placatas.
4 Lagenulâ, quæ modicum sitit.i.

tas,].i. vbi ille ægrotus tertiâ nocte post medici consilium datum intellexit venas suas compositè salire, [*rogauit sitis loturo lenia Surrentina de domo maiore lagena sitiente modicum.*] .i. rogauit, & sibi iam balneum ingressuro exhiberi curauit mitia vina, non Surrentina de domo alicuius potentioris allata in poculo paruulo.

quæ modicum vel parum vini capit.
5 Solebant Romani ante cœnam se exercere, post exercitationem verò balneum ingredi. *Commodus* Imperator lotione tantoperè delectabatur, vt per diem septies & octies balneis lauaretur. 6 *Surrentum,* oppidum fuit Campaniæ à Græcis conditum, Syrenum quondam sedes. Hinc vina *Surrentina* dicta sunt, conualescentibus, & balnea ingressuris maximè comprobata, quia tenuia erant & parùm noxia, etsi fortassè parùm iucunda.

Heus bone, tu [1] *palles.* [2] *Nibil est. Videas tamen istud*
Quicquid id est: surgit [3] *tacitè tibi lutea pellis.*
At tu deterius palles; ne sis mihi [4] *tutor:*
Iampridem hunc sepeli tu restas, Perge, tacebo.

Medicus de improuiso interueniens, & ægrotum genio indulgere deprehendens, voce blandulâ eum compellat, sicuti medicum decet se gerere erga eos, qui misere ægrotant.

Heus bone,].i. Heus bone vir (inquit medicus) quid agis? [*tu palles*] .i. tu pallidus es ex morbo latente, & tamen vinum bibis balneúmque ingrederis, vndè & morbum & mortem tibi acceleras. (Respondet ægrotus medici verba aspernans. [*Nihil est inquit.*].i. Nihil est periculi in hoc meo pallore [*videas tamen istud quicquid id est.*] sunt verba medici. Quamuis, tu ægrote, valetudinem tuam dissimulas, quæso tamen consideres illud quicquid est palloris, quod tu nihil esse dicis. Nam [*lutea pellis surgit tibi tacitè.*] .i. subcrocea cutis tibi sensim intumescit in toto corpore, quod signum est hydropiseos. [*at tu palles deterius,*] .i. at tu ô medice, (inquit ægrotus) deteriùs palles quàm ego, quapropter medice Cura teipsum, [*ne sis mihi tutor.*] .i. noli me quasi pupillum habere, vt mihi quicquam aut præscribas aut imperes. [*Iampridem sepeli hunc.*] .i. iamdudum vnum sepeliui tutorem, qui suis monitis mihi nimiùm fuit molestus

1 Pallor sæpenumerò indicium est ægritudinis. Virg. *Continuo est ægris alius color, horrida vultum Deformat macies.* ——
2 *Qui in graui morbo dolorem non sentit, in illo spes sanitatis exigua est, aut prope nulla.* Hippocrat.
3 Latenter, ex causâ incognitâ.
4 *Tutor* est, qui vim & potestatem habet in capite libero, ad tuandum eum, qui se per ætatem nondum tueri potest. *Tutores* etiam furiosis & mente captis dari solent.

[*tu restas,*] .i. tu qui superuenis mihi tanquam alter & nouus tutor, restas à me etiam sepeliendus. [*perge, tacebo.*] medicus de huius salute desperans, respondet ægroto. Perge ad vina & balnea, fac vt libet. Ego verbum posthac non faciam, sed quia curari non vis, hinc abibo.

Turgidus hic epulis, atque [1] *albo ventre, lauatur,*
Gutture sulfureas lentè exhalante [2] *Mephites.*
Sed tremor inter vina subit, calidúmque [3] *trientem*
Excutit è manibus; dentes crepuêre retecti.
Vncta cadunt laxis tunc [4] *pulmentaria labris.*
Hinc [5] *tuba, candelæ : tandémque* [6] *beatulus alto*
Compositus [7] *lecto,* [8] *crassisque lutatus* [9] *amomis,*
In portam rigidos calces extendit : at illum
[10] *Hesterni* [11] *capite induto subiere* [12] *Quirites.*

Post dialogum finitum inter ægrotum & medicum, Persius iam eleganter exprimit, quomodò iste ægrotus ob ventris ingluuiem, balnea & ebrietatem, perierit.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lauatur,] .i. hic adolescens, varijs ferculis distentus & ventre hydropico inflatus, balneum intrat & lauatur, [*gutture lentè exhalante sulfureas Mephites.*] .i. gutture per respirationem ægrè emittente indigestos vapores, quales ex venis sulfureis exhalantur. [*sed inter vina tremor subit,*] .i. inter potandum, pauor, instantis mortis signum, illum inuadit, [& *è manibus excutit trientem calidum*;] .i & tremor è manibus ægroti excutit calicem calidâ potione plenum; [*dentes retecti crepuêre:*] .i. dentes retractis labijs crepitum excitârunt. [*tunc pulmentaria vncta cadunt labijs laxis.*] .i. tunc pinguia & lauta obsonia, ex ore illius & labris apertis, euomuntur. [*hinc tuba, candelæ* ;] .i nimirum ex hac intemperantiâ mors ingruit, & tubæ cum candelis præparantur ad funus deducendum; [*tandémque beatulus*

tulus

1 Corpore pallido & languido, sic Horat. Ode 11. lib. 11. Hydropem appellat, *album languorem.* & Sat. 11. lib. 11. *pinguem* vitijs, *albúmque.*

2 *Mephitis*, propriè est terræ putor ex aquis maximè sulfureis & putridis proueniens. In nemoribus verò grauior est ex densitate syluarum. Virg. — —*sæuúmque exhalat opaca Mephitin.* *Sulfureas* ergò *Mephites*, expone flatus ex stomachi cruditate teterrimos sulfur redolentes.

3 *Triens*, est genus vasis potorij, sic denominati, à numero quatuor vnciarum quas continet. Est enim triens tertia pars assis qui duodecim vncijs constat.

4 *Pulmentarium* à *pulte* dictum, est cibus in modum pultis factus, cuius formam, cibus indigestus per vomitum eiectus, repræsentat.
5 In potentiorum funeribus, olim tuba canebatur,

tulus compositus lecto alto, & *lutatus amomis crassis, extendit calces rigidos in portam.*] .i. & paulò pòst Centurio ille (quem vulgus æstimat beatum) in eminente feretro collocatus, multísque vnguentis perfusus, pedes iam morte rigidos, versus ianuam domus profert, dum extrà vrbem ad sepulturam effertur. [*at Quirites hesterni subiere illum capite obducto.*] .i. serui eius libertini, qui pridiè ante mortem domini sui, erant libertate donati, illum, pileo induto, humeris sustulerunt & ad sepulturam exportârunt.

in plebeijs tibia. vndè Virg. in funere Pallantis. Æneid. XII. *It cælo clamórque virûm, clangórque tubarum.* & Ouid. V. de tristibus. *Tibia funeribus conuenit ista meis.* Sanctissimus noster Redemptor, in Euangelio puellam suscitaturus, Tibicines remoueri iussit. 6 Ironicè per diminutiuum, appellat hunc Centurionem, *beatulum*; innuens eum minimè beatum fuisse, sed potiùs misertimum. 7 Feretro, quod instar lecti, stragulâ & vestibus pretiosis fuit coopertum, quæ consuetudo mortuos efferendi, ad nostram vsque ætatem continuatur. 8 Non vilibus sed copiosis vnguentis oblitus, & quasi luto perunctus. Nam cadauera perungebantur. Virg. VI. Æneid. —— *corpúsque lauant rigentis & vnguent.* 9 Vnguentis ex amomis. *Amomum* exiguè fruticat, ex ligno se conuoluens in racemi modum, flore, ceu candidæ violæ paruo, folijs Bryoniæ similibus. Antidotis immiscetur & pretiosissimis vnguentis. Diosc. lib. I. Cap. XIIII. 10 Per *hesternos Quirites*, intellige nouos ciues Romanos, qui pridiè vel paulò antè heri sui mortem, erant manumissi & libertate donati. 11 Serui manumissi & liberi facti, raso capite pileum sumebant, idque erat insigne libertatis, pileati igitur, & capite induto, incedebant ad sepulturam, ante manumissoris corpus. Pers. Sat. V *Hæc mera libertas quam nobis pilea donant.* 12 Romani dicti sunt *Quirites*, à *Quirino*, vel *Romulo* Romæ conditore. Hîc obserua, quòd sicut ille sibi mortem accelerat, qui sanum medici consilium spernit: sic qui philosophorum consilijs non auscultat, in animi morbos & interitum incidit.

1 *Venas* dixit pro *Arterijs*, quarum pulsus primùm & maximè vitalis facultatis totiúsque corporis robur, at non obscurè tamen cordis corporísque conditionem re-

Tange miser [1] *venas, & pone in pectore dextram:*
Nil calet hîc, [2] *summósque pedes attinge, manúsque.*
Non frigent: visa est si fortè [3] *pecunia, siue*
Candide vicini subrisit [4] *molle puella,*
Cor tibi rite salit? [5] *Positum est algente* [6] *catino*
Durum [7] *olus, & populi cribro decussa* [8] *farina.*

Tente-

Tentemus fauces: tenero latet vlcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeiâ radere [8] *betâ.*
[10] *Alges, cùm excussit membris* [11] *tremor albus*
[12] *aristas:*
Nunc [13] *face suppositâ feruescit sanguis, &* [14] *irâ*
Scintillant oculi; dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret [15] *Orestes.*

Sunt hæc verba cuiusdam vesani iuuenis, qui corpore sano est, sed turpiter laborat animi vitijs, quæ oblatâ occasione cumulatissimè prorumpunt.

Miser].i. alius quispiam infelix adolescens dicit medico, [*tange venas, & pone dextram in pectore:*].i. arteriarum mearum pulsum examina, & dextram tuam conijce in pectus meum, vt ex cordis palpitatione, morbi genus explores: [*nil calet hic,*] Respondet medicus, Nullum in venis tuis est signum caloris febrilis, pulsus enim est temperans, [*attinge summos pedes, & manus* inquit iuuenis.] ô medice, summitates pedum & manuum mearum tange obsecro, vt intelligas vtrùm frigere incipiant. [*Non frigent,* inquit medicus:] .i. neque manuum neque pedum tuorum extremitates, vllo modo algent, vt indè febris coniectura fiat: [*si fortè pecunia visa est, siue puella candida vicini subrisit molle, salit cor tibi rite?*] .i. verùm enimuerò (ait medicus) quamuis tu corpore sanus es, Ego tamen alium in te morbum deprehendo. Nam animi moderatio in te non est; latitant in pectore tuo, auaritia, libido, timor, iracundia & alia vitia enormia. Si fortè magna vis pecuniæ tibi conspicitur, vel si pulchra vicini puella molliter tibi arrisit, ecquid tunc cor tuum rectè & compositè tibi salit? nón-ne animo ægrotas? [*durum olus positum est catino algente, & farina decussa cribro populi,*] .i. si olus malè coctum sit tibi appositum in frigido & egeno catino, vel panis confectus ex farinâ, quæ discussa & purgata est cribro setaceo non serico, [*tentemus fauces:*] .i. Age (inquit medicus) experiamur, an fauces tuæ rectè valeant, an aliquod vlcus luxuriæ in illis insideat? [*vlcus*

putre

fert. *Arteriæ* autem à multis medicis appellantur *venæ.* Cor. Cel. lib. III. cap. VI. *Venis enim maximè credimus, fallacissimæ rei; quia sæpè istæ leniores celerioresue sunt, & ætate, & sexu, & corporum naturâ.* Idem lib. II. cap IV. *Periculosissimum tamen est, si venæ quoque ibi vehementer agitantur.*

2 Extremitates pedum & manuum citiùs frigent, quia sunt tenues, neruosæ & exigui admodum sanguinis.

3 Plinius lib. XXXIII. scribit *pecuniam* sortitam esse nomen à notâ pecudis, quoniam antiquitùs nummi pecudis effigie signabantur.

4 *Molle,* ponitur loco Aduerbij, pro *molliter.*

5 Si positum est.

6 *Catinus,* vas est escarium.

7 Vt brassica vilis.

8 Panis plebeius & secũdarius. Materia pro formâ.

putre latet in ore tenero, quod haud deceat radere beta plebeia.] .i. ibi videre licet quòd tu adeò mollis es & delicatus liguritor, vt falsò prætédas apostema in ore tuo tenero latere, quod non æquum sit atterere betâ plebeiâ & cibo vilissimo, atque hoc facis, quia ventri & luxuriæ deditus es & assuefactus. [*Alges, cùm tremor albus excussit aristas membris.*] .i. ob leuissimum etiam periculum, tu frigore concuteris, quando timor (qui pallidos efficit) pilos ex membris tuis, aristarum more erexit. [*nunc face suppositâ sanguis feruescit,*] .i. rursus iracundiæ materiâ oblatâ, sanguis circum cor tuum ebullit, [& *oculi scintillant ira,*] .i. & per iram, oculi tui scintillas ignis emittere videntur, [*dicisque, facisque, quod ipse non sanus Orestes iuret, non esse sani hominis.*] .i. & in iracundiæ furore, tu id dicis & facis, quod ipse Orestes & alij homines insani iurare possint, factum esse ab homine sanitate rationis priuato.

9 *Beta*, vt vulgatissimum, ita maximè insipidum est olus, quod vt palato arrideat, sine vino & aromatibus decoqui non potest. vndè Martialis. *Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betę, O quàm sępè petit vina pipérque coquus!* *Beta* à Persio *plebeia* dicitur, quia populi est annona, & plebs eâ vescitur. ponitur igitur hoc loco, pro cibo vilissimo. 10 *Algere*, est cum frigore trepidare. 11 Timor cur pilos erigit docet Aristoteles Probl. sect. VIII. quæst. XVIII. Quia frigus constipat poros, & pori iam constipati constringunt capillos. 12 Pilos more aristarum inhorrescentes. *Aristę* autem propriè significant aculeos spicarum, sic dictæ, quòd primæ arescant, quibus se muniunt fruges, vt tanquam vallo, à morsu auium defendantur. 13 Perindè ac si ignis supponeretur. 14 IRA *furor animi breuis est.* quæ feras quidem mentes obsidet, eruditas præterlabitur, vt pulchrè notat Petronius. 15 Nota est historia Orestis, qui cùm Apollinis iussu, matrem suam Clytemnestram, in vltionem necis paternæ occidisset, confestim furijs exagitatus insaniuit.

SATY-



SATYRA QVARTA.

ARGVMENTVM.

In hac Satyrâ, quæ maiori ex parte est politica, Persius sui æui adolescentes seu potiùs ipsorum parentes monet, ne cruda ingenia reipub. gubernationem suscipiant. Quod cùm NERO *Imperator tunc temporis faceret, (fuit enim iuuenis, nec ætate nec prudentiâ instructus) Persius igitur sub personâ Socratis Alcibiadem Periclis pupillum seuerè reprehendens, ipsum* NERONEM *reuera subtiliter vituperat, quem metus causâ apertè nominare non audet.*

REm populi tractas? ([1] barbatum hoc crede Magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira [2] cicutæ)
Quo fretus? Dic hoc magni pupille [3] Pericli.
[4] Scilicet [5] ingenium, & rerum prudentia [6] velox
Ante pilos venit, dicenda, tacendáque [7] calles.
Ergò vbi commotâ feruet plebecula [8] bile,
[9] Fert animus calidæ fecisse silentia [10] turbæ
[11] Maiestate manus: [12] Quid deinde loquêre? [13] Quirites,
Hoc, puto, non iustum est, illud malè, rectiùs istud,
Scis etenim iustum geminâ suspendere lance
[14] Ancipitis libræ: rectum secernis, vbi inter

1 Philosophi barbam nutriebant, quia (vt inquit Plinius in Epistolis) *Barba syluosa & pulchrè alita, quamuis res ipsa sit exterior & fortuita, inter hominis eruditi Insignia recensetur.* Hinc fit opinor, quòd non pauci nostrâ ætate, barbas gerant grandes & fœcundè nutritas, eò nimirum vt videantur graues esse & eruditi,

Curua subit, vel cùm fallit pede regula [15] *varo:*
Et potis es nigrum vitio præfigere [16] *Theta.*

Rem populi tractas?] .i. O Alcibiades, seu potiùs NERO, dic mihi quæso, tú-ne rempub. administras? [*crede Magistrum barbatum dicere hoc,*] .i. noli tu putare ô NERO, me hanc Satyram de te scribere, & in eâ te reprehendere, sed finge Socratem barbatum illum pædagogum Alcibiadi discipulo suo hoc dicere, Socratem (inquam) [*quem dira sorbitio cicutæ tollit,*] .i. quem lethalis haustus cicutæ extinguit, [*pupille magni Pericleï, dic hoc.*] .i. ô Alcibiades, pupille patrui tui Periclis magni illius ducis, dic mihi hoc quæso, nempè quâ re confisus, rempublicam tu regendam suscipis? [*scilicet ingenium, & velox prudentia rerum venit ante pilos,*] .i. scilicet ingenium versatile, & summa rerum prudentia tibi ante barbam contigit. [*calles dicenda, tacendáque.*] .i. tu etiam puer, nôsti quid debeas dicere, quid tacere. [*Ergó vbi plebecula feruet bile commotâ,*] .i. Ergó quando imperitum vulgus concitatur cholerâ & irascitur. [*animus fert fecisse silentia turbæ calidæ maiestate manus,*] .i. animus tuus desiderat manus tuæ eleuatione & vultus grauitate, iracundæ multitudini silentium imperare, [*deindè quid loquère?*] .i. vbi silentium fecisti, cùm sis omnium rerum inscius, quid tum dicturus es? [hoc nimirum, *Quirites, puto, hoc non iustum est, illud malè, istud rectiùs.*] i. ô ciues Romani, ita facere, ego existimo non esse iustum, illud malè fieri censeo, istud rectiùs ageretur. [*etenim scis suspendere iustum geminâ lance ancipitis libræ;*] .i. nam tantâ es rerum cognitione præditus, vt etiam scias, quasi in ambiguâ bilance positum quod iustum est & æquum internoscere, [*scernis rectum vbi subit inter curua,*] .i. & rectum distinguis cùm se inter curua abscondit, [*vel cùm regula fallit pede varo;*] .i. & tu coarguere potes, cùm lingua bilancis te pede incuruo decipit; [& *potis es præfigere vitio nigrum Theta.*] .i. & tanti es consilij, vt recto iudicio possis nomini hominis vitiosi, Theta infelicem damnationis literam, præponere.

Nota quòd decem versus proximè præcedentes Ironicam continent orationem, vehementem & valdè amaram, ac si poëta diceret, O Alcibiades, vel ô NERO, tu qui reipub. habenas capessis, cùm sis

iuuenis

quamuis reuerà eorum nonnulli non plùs sapiunt quàm hirci barbati.

2 Socrates philosophus Atheniensis, Sophronisci marmorarij & Phanaretæ obstetricis filius, primus, teste Cicerone, philosophiam euocauit è cœlo, & in vrbibus collocauit domósque introduxit, qui Apollinis oraculo *sapientissimus* est iudicatus, Is ab Atheniensibus morte damnatus, succo Cicutæ epoto perijt, quæ ob insignem quam obtinet frigiditatem, intra corpus assumpta, enecat. Quod si quis per imprudentiam lethale Cicutæ venenum hausisset, illi confestim vinum meraculum propinetur. vide Plin. lib. xxv. cap. xi.

3 *Pericles.* (sic dictus ex περὶ & κλέος *gloriá*) Cliniæ & Dinomacles filius, philosophus & orator

iuuenis imberbis, tibi persuade, quod ante pubertatem, neque ingenium neque experientiam habere possis, deinde quid dicas aut quando taceas planè ignoras, populo seditioso silentium nescis imponere, ineptâ fortasse & puerili vtêris oratione, hoc enim iustum, illud iniustum affirmabis: sed quid iuris aut æquitatis sit, quid rectum aut curuum sit, tu ponderare aut iuxta iustitiæ normam examinare nequis, Denique tu noxios damnare & bonos defendere, penitùs ignoras.

insignis, Atheniensium Imperator clarissimus, rempub. XL. annis mirâ cum prudentiâ & summâ laude gubernauit. In quo (vt ait Probus) Natura experta est, quid efficere posset, vt qui virtute ac vitio iuxtà excelluerit. *Magnus* dicitur, quia nouies hostes superauit. floruit autem ante Christum natum Anno CCCCXXVI. Is Alcibiadi tutor à patre est relictus. de quo vide Plutarch. in vitâ eius. 4 Hæc particula *scilicet*, Ironiam sæpiùs denotat. sic apud Terent. in Andriâ. *Id populus curat scilicet.* Virg. IV. Æneid. *Scilicet is superis labor est.* —5 Artes & scientiæ, quæ ingenio acquiruntur. 6 Antequam lanugo & pili erumpunt; ante barbam. quasi solito citiùs. Hinc prouerbium. SAPIENTIA *non venit ante pilos.* 7 *Callêre*, est perfectè scire, quòd sicut pes vel manus ex longo labore callum facit; ita mens longâ experientiâ facit habitum quendam rerum in quibus versatur. 8 Irâ. Horat. Ode XIII. lib. I. *Feruens difficili bile tumet iecur.* 9 *Fert*, pro cupit. Ouid. *In noua fert animus*, &c. —— Varia huius significata vno versu comprehenduntur, *Fert patitur, dicit, dat, cupit, atque gerit.* 10 Rixa duorum est, Turba multitudinis, cuius est turbare. Terent. *Dij vostram fidem, quid turbæ est apud forum!* Cicero pro Cecinnâ. *Exponerem etiam quemadmodum hic, & quantâ in turbâ viueremus.* 11 Manu sæpè silentium imperatur à superioribus, & vultus maiestate populus furens ad tranquillitatem non raro redigitur. Ouid. I. Met. de Ioue. —— *qui postquam voce manuque Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.* vide Liuium. lib. II. Dec. I. 12 Hinc colligere licet qualem Persius reipub. gubernatorem esse voluerit, nempe prudentem, literatum & rerum experientiâ benè instructum, inprimis verò vt sit facundus, adeò vt orationis suauitate populum in suam sententiam pertrahat, quo nihil pulchrius, nihil excellentius, nihil imperio vtilius esse audeo affirmare. vndè à Senatu Ro. in laudem Taciti Imperatoris acclamatum est, *Quid melius quàm literatus Imperator?* Longè à me absit Adulatio. ingenuè (deum attestor) scribo quod sentio, si omnes historias percurrere placuerit, tu nullum siue Imperatorem siue Regem inuenire poteris, quem principi nostro IACOBO Britanniarum & Hiberniæ Regi, in omni scientiarum genere, eloquentiæ præsertim laude iustè anteponas. libri eius hoc testantur, Orationes etiam variæ, quas habuit ad Magnates & vniuersum Senatum in Parliamento atque alibi hoc comprobant. 13 *Quirites*, non Athenienses ciues, sed soli Romani dicebantur à *Quirino*. i. Romulo vrbis conditore,

ditore, qui à *Quiri* hastâ *Quirinus* est appellatus : hastâ enim assiduè vtebatur, quæ Sabinorum linguâ, dicitur *Quiris*. Hæc vox argumento est, quòd poëta sub personâ Alcibiadis, NERONEM notat. 14 Tum libra dicitur *anceps*, cùm vtraque lanx æquale pondus habere videtur, vt nescias in quam partem vergat, & tamen benè perspicienti rectum iudicium sumitur vtra præponderat. 15 Inflexo & minùs recto. *Vari* dicuntur, qui introrsum pedes vel crura gerunt, quos Græci appellant ῥαιβοὺς. 16 Iudices illo tempore sententiam mortis laturi, literam *Theta* eius nomini in tabellis præfigebant, quem θανατοῦν. i. mori præcipiebant. Virg. *Cui multum ante alias infelix litera theta.* Persius *nigrum* appellat, quia nigra semper infausta credebantur.

Quin tu igitur summâ nequicquam [1] *pelle decorus*
Ante diem [2] *blando* [3] *caudam iactare popello*
Desinis? [4] *Anticyras melior sorbere* [5] *meracas?*

1 Arridet mihi magis eorum opinio, qui hoc intelligunt de Alcibiadis siue Neronis formâ & pulchritudine, quàm de vestibus eorum splendidis. Fuit enim Alcibiades omnium suæ ætatis formosissimus. Nero etiam fuit vultu pulchro magis quàm venusto. teste Suet. cap. 51.
2 Adulari populo, qui blanditijs & exterâ specie maximè capitur.

Persius hunc adolescentem vlteriùs vrget, & concludit, Alcibiadem seu potiùs NERONEM esse imperio ineptum, quòd superficie corporis externâ duntaxat pulcher sit, intrinsecus verò vitijs & sceleribus redundet.

Tu igitur decorus nequicquam summâ pelle] .i. Tu iuuenum stolidissime, qui frustrà superficie tenus es formosus [*quin desinis iactare caudam popello blando ante diem?*] .i. cur non cessas adulationibus gratiam popularem captare ante ætatem maturam? [*melior sorbere Anticyras meracas?*] i. cùm sis aptior atque dignior helleborum potare, & eo insaniam tuam purgare, quàm summam imperij affectare?

3 Instar canis, qui domino adulans caudam agitat. 4 Est Metonymia Adiuncti, locus pro helleboro, qui inibi nascitur copiosè. 5 Elleborum purum aut merum, nullâ aquâ aut alijs rebus commixtum.

Quæ tibi summa boni est? [1] *vnctâ vixisse patellâ*
Semper, & [2] *assiduo curata cuticula sole.*
Expecta; haud aliud respondeat hæc [3] *anus. I nunc,*

1 Cibis pinguibus & lautis. .i. vixisse lautè & opiparè.
2 Solebant antiqui (vt scribit

[4] *Dinomaches ego sum.* [5] *suffla, sum candidus.* [6] *Esto:*
Dum ne deteriùs sapiat pannucia [7] *Baucis,*
Cùm benè [8] *discincto cantauerit* [9] *ocyma vernæ.*

Vt liquidò appareat hunc ignauum & ignarum adolescentem imperio esse prorsus ineptum (quippe qui à virtute adeò est alienus, vt omninò nesciat quid sit Summum bonum) Socrates igitur Alcibiadem, seu potiùs Persius NERONEM *sic interrogat,*

Quæ tibi summa boni est?] .i. dic adolescens, quâ in re felicitatem & vitam beatam collocas? [Respondet iuuenis liberè, sed tanquam Epicurus, nimirum, *semper vixisse patellâ vnctâ*, & *cuticula curata sole assiduo*] .i. lautè victitare, & toto die in sole apricari. [*expecta; hæc anus respondeat haud aliud.*] .i. mane paulisper Alcibiades, si placeat audire hanc vetulam nunc prætereuntem, certè inuenies eam haud aliter responsuram, [*I nunc, Dinomaches ego sum.*] .i. quando non meliùs sapis quàm vetula, perge iam quò voles & gloriare te esse virum nobilem, Dinomaches filium. [*suffla, sum candidus.*] .i. intumesce, & dicito quòd corpore candidus es & formosus. [*Esto: dum Baucis pannucia ne deteriùs sapiat, cùm benè cantauerit ocyma vernæ discincto.*] .i. fateor te esse nobilem & pulchrum, sed ita fateor, vt scias, quòd non magis sapias quàm Baucis anus pannosa, mulier olitoria, quæ de SVMMO BONO interrogata, nihil peius quàm tu respondeat; anus, inquam, quæ ocyma & alias herbas hortenses clarâ voce seruis luxuriosis proclamauit & laudauit.

Celsus) præcipuè γαλακτοφάγοι. i. *stomacho imbelles*, ante cibum se exercere, quam exercitationem rectè sequebatur aliquando vnctio vel in sole vel ad ignem, aliquando Balneum. *Sole cutem curare*, veteres *Insolationem* vocabant. *Cutem curare*, dapibus etiam constat. Horat. in Epist. *Me pinguem & nitidum benè curatâ cute vises.*

3 Aliqua mulier decrepita & vilis.

4 Plutarchus in vitâ Alcibiadis, scribit illum à Dinomache fœminâ illustri, originem traxisse.

5 *Sufflare*, est *subtus flare*, quod fieri solet cùm ignem accendi volumus: hic verò significat, *buccas inflare, intumescere*, vel *altos spiritus gerere.* 6 Amara est concessio, sc. quòd generosus es & pulcher, ita tamen vt Baucis te sapientiâ æquet. 7 *Baucis*, nomen est paupérculæ, pannis & annis obsitæ. Ponitur hic pro quauis anu squalidâ & incultâ, quæ vendit herbas odoratas in foro olitorio, & seruos altâ voce siue cantilenâ ad emendũ inuitat. 8 Vernulæ siue seruo negligenti & dissoluto. 9 Andr. Mathiolus in librum secundum Dioscoridis, cap. cxxxv. illud in *Ocymo* non ignorandum putat, quòd *Ocymum* per y. ab *Ocimo* per literam i. maxime differre deprehenditur, probatissimorum Authorum testimonio. Siquidem apud antiquos *Ocymum* erat pabuli genus, sic dictum, vel, quòd citò proueniret, vel primùm inter cætera pabuli genera è terrâ erumperet,

rumperet, *vel*, quòd iumentis citaret aluum, sic appellatum à Græcâ vocè ὠκὺς, quæ Latinis valet citò. *Ocimum* verò, herba est odoratissima, ab ὄζω, quod *redolere* significat. Hæc herba frequens seritur & fouetur in figulinis vasis. Angl. Basill. ponitur hic pro farragine multarum herbarum & leguminum.

Vt nemo in sese tentat [1] *descendere? nemo:*
Sed præcedenti spectatur [2] *mantica tergo.*

Hactenus in NERONEM *Persius sub personâ Alcibiadis est inuectus. nunc autem factâ digressione, eos Satyricâ acerbitate reprehendit, qui in aliorum vitijs oculatissimi, in proprijs vero sunt talpis cæciores. poëta igitur miratur*

Vt nemo tentat descendere in se?] .i. quomodò nemo, nemo inquã cupit se intus perspicere, & vitia sua perscrutari? [*sed mantica spectatur tergo præcedenti.*] .i. sed illa pars manticæ quæ in tergo est hominis præcedentis, (in quâ aliena vitia reponuntur) ob oculos nostros assiduè versatur.

1 Est Metaph. ducta à fodinis vel cellis, in quas qui descendunt quid sit illic reconditum, nosse possunt.

2 Hoc ex Æsopi Apologo est desumptum, qui finxit vnumquemque duos sacculos vitijs plenos secum gerere, in anteriori, vitia aliena, in posteriori nostra reponi. vndè fit, vt aliorum vitia facilè cernimus, nostrorum verò obliuiscimur. Horat. Sat. III. lib. II. *Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis: Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm, Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?* ——

Quæsieris; Nostin' [1] *Vectidi prædia? cuius?*
Diues erat [2] *Curibus. quantum non* [3] *miluus oberret;*
Hunc ais? hunc, [4] *dijs iratis,* [5] *genióque sinistro.*
Qui quandoque iugum pertusa ad [6] *compita* [7] *figit,*
[8] *Seriolæ veteris metuens deradere limum,*
Ingemit, [9] Hoc benè fit. [10] *tunicatum cum sale mordens*
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus [11] *ollam,*
[12] *Pannosam fæcem* [13] *morientis sorbet aceti.*

1 Hominis frugi & ditissimi.

2 *Cures*, tantùm pluralis numeri, fuit vrbs quódam Sabinorum insignis, cui imperabat Tatius.

3 Prouerbialis est hyperbole de homine supra modum locuplete, cui tantum est agrorum, quantum miluus integro

Persius Dialogum instituit, vt expressiùs ostendat homines miro perfundi gaudio, vbi illis quasi ansa alienum vitia recensendi, porrigitur, suis interim vitijs neglectis & obliuioni datis. sed ille Criminator qui alterius auaritiam hîc perstringit, rursus ab alio Recriminatore ob scelera nefanda taxatur, & pari procacitate carpitur.

Quæsieris;] .i. si fortè aliquis quæsierit, & te verbis sic compellauerit; [*Nostin' prædia Vectidi?*] .i. nosti-ne quàm multos agros Vectidius possideat? [*cuius?*] .i. ille nebulo interrogatus respondebit non tam de prædijs, quàm de Vectidij extremâ auaritiâ, sic, cuiusnam Vectidij prædia inquiris? an illius, *qui Diues erat Curibus, quantum non miluus oberret*;] .i qui adeò est locuples, vt circa Sabinorum oppidum tantum possideat & arat agrorum, quantum miluus vno die non circumuolet; [*hunc ais?*] .i. de hoccine Vectidio me interrogas? [*hunc, dijs iratis geniòque sinistro.*] .i. noui hunc Vectidium, & dico eum natum fuisse, dijs iratis & Naturæ deo ei aduersante. [*qui quandoque figit iugum ad compita pertusa,*] .i. quandocunque post sementem factam, suspendet aratrû in annum ad compita trita & conculcata, vbi agricolæ finitâ agriculturâ, more suo sacrificant & genialiter viuunt: tunc, quando alij rustici exquisitis epulis sese exhilarant, inuicémque inuitant, [*ille Vectidius metuens deradere limum seriolæ veteris,*] .i ob auaritiam metuens abradere argillam aut lutum quo os dolioli diu obducitur. atque metuens vinum indè expromere, [*ingemit, Hoc bene sit.*] .i. quasi rem arduam aggressurus, cum gemitu pronunciat. Hoc mihi meisque faustum sit fortunatúmque. [*mordens cæpe tunicatum cum sale, & ollam farratam cum pulte, sorbet fæcem pannosam aceti morientis, pueris plaudentibus*] .i. quo tempore auidè comedens cæpe cum sale nullis corijs purgatum, atque comedens vilem pultem ex farre in ollâ coctam, vinum vappescens atque in acetum degenerans pleno haustu quasi Nectar exorbet, omnibus suis filijs & seruis, ob has insolitas lautitias, exultantibus.

die vix circumuolare possit. **That is Land-lord of a whole Country**, cuiusmodi nunc sunt (vt fama est in MAGNA BRITANNIA, ex quo miserior est multorum conditio.
4 *Dijs iratis fieri* id dicitur, quod infeliciter geritur. Hæc enim opinio semper fuit hominum animis insita, Quòd Dijs iratis, aut inuitis nihil prosperè euenire, nihil feliciter geri, nihil denique benè procedere posset.
5 *Genio sinistro* dicitur *viuere*, qui cum Genio suo belligerat.i. qui genium suum voluptatis deum fraudat, quod facit auarus.
6 *Compita*, dicuntur loca quæ patent in multas vias, vel vbi plures viæ competunt. In his, ante Augusti tempora, quotannis fiebant Compitalia & sacrificia in honorem Deorum Larium certis diebus festis, quos rustici post sationes finitas, suspensis ibi aratris, cum magnâ animorum relaxatione celebrabant. 7 Suspendit. 8 *Seriola*, est vasculum fictile, in quo vinum per multos annos asseruatur. *Limus* pro luto, in quo seriola est illita. 9 Verba sunt Vectidij auari, quasi

rem pretiosam cænaturi, sed reuerà rem ridiculam & nullius momenti acturi, qui sibi suísque gratulatur ob cæpe & pultem appositam, quando sacra Compitalia fiebant. vndè licet colligere, victum eius alijs temporibus tenuem fuisse & sordidum. *Hoc benè sit*, prouerbium est apud antiquos, seu vox ominantis, sicut &, *Dij bene vortant*. Καλῶς ἔστω. 10 In culinis quid cœpâ vsitatius, quæ multis tunicis est vestita? Ægyptij magnum piaculum esse ducunt, si quis cæpâ aut allio vescatur, quòd hæc illorum sunt numina. Vide Iuuenalem. Sat. XV. *Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam, Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morsu. O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina!* —— Causam huius superstitionis quiuis intelligat ex verbis Ruellij in Historia Cæpæ, lib. II. cap. LXXXIV. 11 Pultem in ollâ coctam. Continens pro contento. 12 Elegans est Epitheton. Nam vbi dolium ferè exaruit, fæces quasi albi panni floccis obducuntur. 13 Mori incipientis, deficientis, vel vappescentis.

At si vnctus cesses, & [1] figas in cute solem,
Est prope te ignotus [2] cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores; [3] penémque arcanáque lumbi
[4] Runcantem, [5] populo marcentes pandere [6] vuluas.

Persius Recriminatorem hic inducit, qui Vectidij Calumniatorem vicissim reprehendit, ipsique vitia longè flagitiosiora obijcit.

At si cesses vnctus, & figas cutem in sole,] .i. At enim tu nebulo, qui Vectidium atque alios carpis, tu si leuissimarum mulierum more, delibutus oleo, à labore quiescas, & solis calorem in cute infigas vt eam nitidam reddas, [*ignotus est prope te, qui tangat cubito, & despuat acre in mores;*] .i. est alius non procul abs te, quamuis tibi ignotus, qui te acriter pungat, & veluti in rei turpis detestationem, despuat in vitia & mores tuos nefandos, imo despuat in teipsum; [*runcantem penémque arcanáque lumbi,*] .i. qui depilas membrum tuum virile & reliquas partes arcanas & obscœnas, [*pandere populo vuluas marcentes.*] .i. ad pandendum & præbendum populo Romano podicem tuum tanquam vuluam nimio coitu tabescentem.

1 Solis radij quasi sagittarum cuspides figuntur in cute hominis apricantis. Veteres cibum sumpturi se priùs exercebant, deinde vel in sole, vel ad ignem multo oleo vngebantur, vt corpus oleum imbiberet. Iuuenal. Sat. 11. *Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.*
2 Est imitatio Horatiana. *Nónne vides, aliquis cubito stantem propè tangit? Cubito tangere*, est aliquem latenter notare & increpare, *Vel*, cum quis alium admoniturus, ferit ei latus brachio inflexo. 3 Mentulam, podicem aliásque pudendas lumbi & natium partes poëta denotat. Hæc adeò

sunt obscœna vt ea lubens præterirem, ne fortè detestandos Romanorum mores aliquis legendo discat. sed meum est interpretem agere & poëtam intelligendum reddere. 4 *Runcare*, propriè significat herbas, frutices, vel dumos ex agris extirpare. Angl. **to grubbe, or plucke vp by the rootes.** Hic verò metaphoricè significat radicitùs extirpare & stirpitùs euellere pilos circa membrum virile nascentes. quod faciunt pathici & cynœdi, homines turpissimi, vt amatoribus suis glabri, læues & effæminati pusiones esse videantur. 5 Cui se prostituat, vt meretricum more quæstum faciat corporis impurissimi. 6 Veluti mulierum inguina.

Tu cùm maxillas 1 *balanatum* 2 *gausape pectas,*
3 *Inguinibus quare detonsus* 4 *gurgulio extat?*
Quinque 5 *palæstritæ licèt hæc* 6 *plantaria vellant,*
7 *Elixásque nates labefactent* 8 *forcipe aduncâ,*
Non tamen 9 *ista filix vllo mansuescit aratro.*

Recriminator sermonem suum ad Vectidij calumniatorem continuat.

Cùm tu pectas gausape balanatum maxillis,] .i. cùm tu ô pathice, barbam tuam tanquam gausape in mento & maxillis oleo balanino imbutum pectas cúmque reuerâ vir intuentibus appareas, [*quarè extat detonsus gurgulio inguinibus?*] .i. cur proeminet mentula tua valdè depilata tanquam gurgulio in inguinibus tuis? sed frustra operam impendis in his pilis eradicandis. Nam, *licèt quinque palæstritæ vellant hæc plantaria, labefacténtque nates elixas forcipe aduncâ,*] .i. quamuis quinque athletæ hæc pilorum seminaria euellant, & nates tuas aquâ tepidâ madefactas volsellísque depilatas destruant & reddant languidas, [*tamen ista filix non mansuescit vllo aratro.*] .i. tamen isti pili circa pectinem renascentes, tanquam filix in aruo, non explantantur vllâ cultura.

1 Vnguentum ex balano. 2 *Gausape*, propriè significat *stramentum militare*, seu *penulam villosam militarem*, aliquando significat *pannum quo mensa struitur*. Angl. **a Carpet.** Hic verò, per duram Metaphoram ponitur pro barbâ hirsutâ & prolixâ. Clauerius (politioris literaturæ lumen) intelligit *Gausape* cæsariem esse vel veram vel emptam, quâ nostris etiam temporibus, recaluastri vel lue venereâ flagellati, caput obuellant. Angl. **a Perugge.** 3 Inter inguina. 4 *Gurgulio* est bestiola frumentum corrodens, sic dictus, quòd nihil in eo penè aliud quàm guttur videtur. Hîc pro priapo sumitur, quia similitudinem gutturis refert. 5 Homines robustissimi, quales in palæstrâ versantur. Tonsores intellige per hyperbolem non vulgarem. 6 *Plantaria* propriè dicuntur ea, quæ ex seminibus nata cum radicibus & terrâ propriè transferuntur. Angl. **Seed-plants.**

Virg. *Syluarúmque aliæ pressos propaginis arcus Expectant, & viua suâ plantaria terrâ.* Plantæ verò sunt raptæ ex arboribus. Anglicè, **Plants rent from old stockes.** Virg. *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.* *Plantaria* etiam, sunt illa loca in quibus plantæ tenerrimæ seruntur, quæ posteà in alium locum transferuntur. Angl. **Nurseries.** Hîc autem significant loca pudendis vicina, seu potiùs pilos ex illis locis continuò renascentes. 7 Tonsorum more, cùm alicuius barbam sunt rasuri. 8 Quâ pilos euellunt. 9 Ista pilorum seges & fruticatio nullâ forcipe penitùs euellitur, sicut filix nullo aratro ex agro extirpatur.

1 Tmesis figura est, *inque vicem* pro *inuicem, vicissim, contrà.*
2 Est Allegoria militaris. sic Ouid. *Multáque dat miles vulnera, multa capit.*

Cædimus, [1] inque vicem præbemus crura [2] sagittis.
Viuitur hoc pacto : sic nouimus. ——

Persius suam interponit sententiam inter Calumniatorem & Recriminatorem. Ita fit, inquit, vt qui alium carpit ab alio carpitur, qui alium ridet, mordet, lædit, ab alio ridetur, mordetur, læditur.

[*Cædimus, & inuicem præbemus crura sagittis.*] .i. nos linguis nostris venenatis alios ferimus, & rursus aliorum calumnijs & detractioni mores nostros lacerandos præbemus. [*Viuitur hoc pacto :*] .i. sic omnes viuunt vt carpant & carpantur. [*sic nouimus.*] .i. sic viuere didicimus, sc. aliorum vitia reuelare & nostra velare.

1 *Ilia* inter coxas & pubem imo ventre posita sunt. Cels. lib. 1 v. cap. 11. hoc loco per Metaphoram à gladiatoribus sumptam, significat abditos animi recessus.
2 Vitium quod animum vulnerat.
3 Qui verba dat, labra linit. i. fallere intendit. Terent. in Andriâ.

—— *[1] Ilia subter*
Cæcum [2] vulnus habes. sed lato baltheus auro
Protegit. vt mauis, [3] da verba, & [4] decipe neruos,
Si potes. ——

Insurgit Persius contra illos qui sua vitia frustrà abscondunt, quique sibi gaudent attribui quæ sua non sunt.

[*Habes vulnus cæcum subter ilia.*] .i. tu, homuncio stolidissime, vulnus habes ab Aduersario acceptum quod videri non potest. [*sed balthens protegit auro lato.*] .i sed cingulum militare latè auro exornatum, hoc vulnus occultat ne à populo videatur. [*vt mauis,*] .i. fac vt tibi lubitum est, [*da verba, & decipe neruos si potes.*]

potes.] .i. tuis fucis decipe alios ne tua videant vitia, & decipe ingenij tui vires.i. teipſum decipe ſi potes. ſed non potes, quia *Nocte diéque tuum geſtas in pectore teſtem.* flagitia etenim tua Conſcientiam propriam continuò flagellant.

Cui verba dare difficile eſt.

4 Quis neruos ſuos ſic decipere poteſt, vt ijſdem læſis, dolorem non ſentiat? ſimillimè, licèt flagitioſus ſe alijs optimum & ſanctiſſimum venditet, conſcientiam ſuam fallere aut effugere non poteſt, quin eam habeat vltricem, quæ ſemper punit nocentes.

——Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam? viſo ſi [1] *palles, improbe nummo,*
Si facis, in penem quicquid tibi venit [2] *amarum,*
Si [3] *puteal multâ cautus* [4] *vibice flagellas;*
Nequicquam populo [5] *bibulas donaueris aures.*

Obiectio eſt illius turpis & glorioſi nebulonis, cum Perſii reſponſione.

Cùm vicinia dicat me egregium, non credam?] .i cùm omnes vicini me virum eſſe eximium affirment, etiamſi non ſum, nón-ne illorum de me teſtimonio fidem adhibebo? [Reſpondet Perſius, *improbe, ſi palles nummo viſo,*] .i. ô homo flagitioſe, ſi adeò auarus es, vt poſtquam vidiſti nummum, tu eius deſiderio afficiaris, [*ſi facis, quicquid amarum venit tibi in penem,*] .i. ſi adeò libidinoſus es, vt facias quicquid amaræ titillationis tibi incidit in penem, [*ſi cautus flagellas puteal multâ vibice;*] .i. ſi tu es fœnerator adeò callidus, vt debitores multâ & immani vſurâ flagellas & premas; [*nequicquam donaueris aures bibulas populo.*] .i. ſi conſcientia tua te talem eſſe teſtetur: fruſtrà tu aures laudis tuæ auidas accomodaueris populo, virtutes quas non habes, prædicanti. ſiquidem te ipſe decipies, ſi alijs de te plus credas quàm propriæ conſcientiæ.

1 Nimio alicuius rei amore homines ſolent palleſcere. Ouid. *Palleat omnis amans.——*

2 Quicquid moleſtè vel amarè tibi prurit in pene. nam illa libidinis vrtica eſt amara & moleſta, donec expleantur voluptates, quæ triſtitiam ſtatim pariunt & amaritudinem. Æſop. ἡδονῆς ἡ λύπη ἐστὶ ἀδελφή. *Soror voluptatis eſt triſtitia.*

3 *Puteal*, locus erat Romæ, in quo fœneratores verſari conſueuerant, qui grauiſſimis vſuris obæratos debitores flagellabant. 4 *Vibex*, eſt ſignum verberis in humano corpore remanens, quod ſcutica relinquit. 5 Quæ vt ſpongia, laudes ſitiunt & imbibunt.

Reſpue, quod non es; tollat ſua munera [1] *cerdo;*
Tecũ habita; & nôris, quã ſit tibi curta [2] *ſupellex.*

1 *Cerdo* propriè, eſt artifex ſordidus, qui artem

Satyram claudit Persius cum egregio & salutari præcepto.

Respue, quod non es;] .i. illud repudia, nec pro tuo assume quod in te non habes; [*tollat cerdo sua munera,*] .i. auferat & ad se recipiat plebecula vanas laudes & falsa elogia quibus te immerentem donauit, [*habita tecum*; & *nôris, quàm curta supellex sit tibi.*] .i. teipsum consule qui sis, & ingredere Conscientiæ tuæ domunculum, noli in aliorum de te opinione habitare, & tunc demum deprehendes, quàm angusta res familiaris tibi sit.i. quàm multa tibi desint ad hoc, vt sis vir egregius.

illiberalem quæstus gratiâ exercet. Vulgus (*Cerdonem* vocat veterum calceorum sutorem, Anglicè a **Cobler.** ponitur hoc loco pro vili vulgo assentante,

2 *Supellex* dicitur domesticum patrisfamilias instrumentum rerum ad vsum quotidianum paratarum, cuius nomine continentur mensæ, scamna, lecti, &c. Hic verò Metaphoricè per *curtam supellectilem* poëta intelligit prudentiæ, honestatis, virtutis & veræ laudis penuriam, quam in te facilè inuenies, si in tuâ te pelliculâ contineas, nec aures præbeas adulatoribus, qui virum egregium te esse prædicant.

SATY-



SATYRA QVINTA AD ANNÆUM CORNUTUM.

ARGVMENTVM.

In hac Satyrâ PERSIVS *duo potissimùm tractat, nempe laudes Cornuti præceptoris sui, cui ob laudabilem eius institutionem, multum se debere agnoscit: deindè quæ sit vera libertas ex Stoicorum sententiâ docet. Prætereà ostendit stultos, esse seruos omnium miserrimos, omnes verò sapientes esse liberos.*

Vatibus hic mos est, [1] centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum;
[2] Fabula seu mœsto ponatur [3] hianda [4] tragœdo,
[5] Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine [6] ferrum.

Hic mos est vatibus,] .i. hoc poëtis vsitatum est, [*poscere sibi centũ voces, centũ ora, & optare centũ linguas in carmina;*] .i. vt à Musis exigant centũ voces, centũ ora, centum linguas sibi dari ad carmina condenda; [*seu fabula ponatur hianda tragœdo mœsto,*] .i. siue tragœdia componatur ab eis, magno hiatu pronuncianda ab histrione tristitiam præ se ferenti, [*seu vulnera Parthi ducentis ferrum ab inguine.*] .i. siue ad stilum carminis heroïci describantur cruenta Parthorum bella, sagittas ferreas ex pudendis extrahentium & retorquentium in hostes.

1 Poscunt poëtæ vt centum voces simul emittant. Virg. *Non mihi si centum linguæ sint oráque centum.*

2 *Fabula*, hoc loco significat Tragœdiam, quo nomine Comediæ etiam appellantur.

3 Tragœdia ore aperto & magno anhelitu pronuncianda, ob verba grandia & sublimia quæ Tragœdia requirit.

4 *Tragœdus*, actor est Tragœdiæ, *Tragicus* est Tra-

gœdiæ

gœdiæ ſcriptor. 5 Poëta intelligit bellum Parthicum Auguſti Cæſaris auſpicijs geſtum, quod carmine heroïco, prout regum res aliæ geſtæ, deſcribendum erat. 6 Sagittam ferream, vel ſpiculum hamatum, quod in ilia demiſſum, leonina Parthorum virtus animosè extraheret & in hoſtes retorqueret.

Quorſum hæc ? aut quantas robuſti carminis [1] *offas*
[2] *Ingeris, vt par ſit centeno gutture niti ?*
[3] *Grande locuturi, nebulas* [4] *Helicone legunto,*
Si quibus aut [5] *Prognes, aut ſi quibus* [6] *olla* [7] *Thyeſtæ*
[8] *Feruebit, ſæpè inſulſo* [9] *cœnanda Glyconi.*

Cornutus miratur cur Perſius ſatyram ſcripturus, tot voces, tot linguas ſibi contingere exoptet.

Quorſum hæc?] .i. in quem finem ô Perſi, hæc tibi exoptas? inquit Cornutus. [*aut quantas offas carminis robuſti ingeris, vt par ſit niti gutture centeno?*] .i. aut quantos verborum tumores ad carmen forte & heroïcum canendum tibi petis, vt neceſſe ſit, te centum vocibus adiuuari? [*locuturi grande legunto nebulas Helicone,*] .i. poëtæ tragici, qui carmen tumidum & turgidum ſunt ſcripturi, colligant illi in monte Helicone poëtarum nugas fumis & nebulis ſimiles, [*ſi*] .i. ſi qui ſunt [*quibus aut olla Prognes, aut quibus olla Thyeſtæ feruebit,*] .i. quibus cum feruore deſcribenda ſit aut tragœdia Prognes, cuius filius Itys in ollâ fuit coctus & patri appoſitus, aut quibus deſcribenda ſit tragœdia Thyeſtæ, cuius filios in ollâ decoctos ipſique deuorandos dedit Atreus, [*ſæpè cœnanda Glyconi inſulſo.*] .i. qualis tragœdia ſæpè fuit recitanda à Glycone, illius temporis Tragœdo fatuo certè & inſipido.

1 Quicquid in tumorem creſcit, *offa* dicitur. ponitur hîc, pro ampullis & verborum tumoribus, cuiuſmodi vtuntur poëtæ tragici.
2 Infers, immiſces, aggregas.
3 Inflatum poëma.
4 *Helicon* eſt mons Bœotiæ iuxta Thebas Apollini & Muſis ſacer, vndè Muſæ dictæ ſunt *Heliconiades*, quas inuocare, poetæ tragœdias & res magnas ſcripturi ſolebant. Has autem inuocationes Perſius hic irridet, dum eas, *nebulas*.i. nugacia poëtarum figmenmenta nuncupat.
5 Fuit *Progne* Pandionis filia, Philomelæ ſoror, Terei vxor, quæ in vltionem ſororis à marito ſtupratæ, filium ſuum Ityn interemit, coctúmque patri comedendum appoſuit.
6 *Olla* pro cibo in ollâ cocto. Subiectum pro adiuncto.
7 *Thyeſtes* fuit filius Pelopis, Atrei frater, cuius vxorem Europam cùm adulterio polluiſſet, non ſolum è regno Atreus eum expulit, ſed poſteà fictâ reconciliatione, Tantalum filium ei epulandum in menſâ obtulit.
8 Deſcribetur cum animi concitatione.
9 Olla in ſcænis repræſentanda, &

per

per imitationem Thyestæ, in cœnâ à Glycone comedenda, qui temporibus Neronis tragœdias scribebat satis ineptè & insulsè.

Tu neq;[1] *anhelanti,*[2] *coquitur dum massa camino,*
Folle premis [3] *ventos : nec* [4] *clauso murmure raucus*
Nescio quid tecum graue [5] *cornicaris ineptè :*
Nec [6] *stloppo tumidas intendis rumpere buccas.*

1 Metaph. ducta à fabris ferrarijs, qui folles premunt dum ventos exprimunt.

2 Dum tecum multa coquis & consideras camino. i. pectore tuo & animo. *Caminus* Græcè Κάμινος vel Καμίνιον, Latinè dicitur *fornax*. Virg. —— *ruptis flammam expirare caminis*. Sedulius de tribus Pueris. —— *flammis Ardentis fidei, flamma est extincta Camini*. Accipitur sæpiùs pro structurâ quæ fumum excipit, Anglicè a Chimny. M. Tul. Epist. ad Trebatium. lib. VII. *Valdè metuo ne frigeas in hybernis, quamobrem camino luculento vtendum censeo*. Constat tamen inter doctiores, talibus fumi spiraculis veteres non vsos fuisse, qualia sunt nobis hodie in vsu, nimirum è tectorum fastigijs prolata, figurâ vel quadrata, vel rotunda. 3 Ventosum & superbum carmen. 4 Confuso sono & absono. sic suprà. Satyr. III. *Murmura cùm secum, & rabiosa silentia rodunt*. 5 Non solùm non garris vt Cornix, quæ vocem impeditam & strangulatam emittit, sed more Cornicis deambulas, nescio quid ineptum cogitans. 6 *Stloppus* sonus est fictitius, qui ex buccarum inflatione emittitur. ponitur hîc pro tumida pronunciatione.

Cornuti verba sunt ad Persium.

Tu neque premis ventos folle anhelanti, dum massa coquitur camino :] .i. tu verò ô Persi, cùm satyram & res mediocres componere mediteris, tu (inquam) non exprimis verba ventosa carménque turgidum pulmone sæpè respiranti, dum massa ferri in igne emollitur, quale faciunt Tragœdi dum secum aliquid sublime cogitant : [*nec raucus murmure clauso cornicaris ineptè nescio quid graue :*] .i. nec submissâ voce loquens, more carmina meditantium, tecum aliquid grande vt cornix garris & submurmuras ineptè : [*nec intendis rumpere buccas tumidas stloppo.*] .i. nec in colaboras, vt inter recitandum adeò buccas infles, vt verbis inanibus rumpantur buccæ & stloppum edant.

Verba [1] *togæ sequeris,* [2] *iuncturâ callidus acri,*
Ore [3] *teris modico,* [4] *pallentes radere mores*
Doctus & [5] *ingenuo culpam defigere ludo.*

1 Quoniam in pace tantùm vsus erat togæ, indè factum est, vt *toga* pro *pace* vsurpetur, sicut *arma*

Tu, ô Persi, non spiras tragicum, neq; bella canis, sed,

Seque-

Sequeris verba togæ,] .i. satyram scribis & verba pacis tempori conuenientia, [*callidus acri iuncturâ, teris ore modico,*] .i. & tu, cùm sis acutus & sapiens teris atque expolis illa verba satyrica concinnâ versuum compositione & stilo temperato, [*doctus radere mores pallentes,*] .i. peritus insectari vitia, quorum conscientiâ & reatu homines stimulati, efficiuntur pallidi, [*& defigere culpam ludo ingenuo.*] .i. & peritus es crimen notare & transfodere per iocum liberalem.

pro *bello*. Ouid. *Occidit exemplum iuuenis memorabile morum, Maximus ille armis, maximus ille togâ.* 2 Metaph. ducta à marmorarijs, quorum commissuræ sicuti oculos & digitos penè fallunt: sic in Satyrâ Persianâ, omnia benè composita & iuncturâ vix visibili annexa comperies. 3 Superflua amputas, vt fabri ferrarij, qui ferrum limâ atterunt. 4 Est Metonymia effecti. Nam mores vitiosi faciunt hominem pallescere. Et veluti Rubor est verecundiæ color, sic pallor malæ mentis malique animi est indicium. 5 Satyrâ libero homine dignâ, non rustico aut petulanti.

Hinc trabe quæ dicas; mensámque relinque [1] *Mycenis*
Cum capite, & pedibus, [2] *plebeiáque prandia nôris.*

Si scripturus aliquid es, ô Persi, inquit Cornutus.

Hinc trabe quæ dicas;] .i. ex ioco liberali & sermone populari deprome scribendi argumentum; [*& relinque Mycenis mensam cum capite, & pedibus,*] .i. & tragœdias omitte, qualis fuit illa Mycenis gesta, vbi Atreus caput & pedes Plisthenis, patri suo Thyesti in cœnam apposuit, [*& nôris prandia plebeia.*] .i. & fac noscas carpásque satyricè prandiorum plebeiorum luxus .i. materias humiles & plebeias tracta, non regales, non altiloquas.

1 Mycenæ, vrbs fuit Peloponnesi à Perseo Danaës filio extructa, in quâ regiunculâ (à *Mycenâ* nymphâ sic appellatâ) regnauit Agamemnon.
2 Res plebeias & ad vitam communem spectantes. i. Satyras nôris.

Non equidem hoc studeo, [1] *bullatis vt mihi nugis*
[2] *Pagina turgescat,* [3] *dare pondus idonea fumo.*
[4] *Secreti loquimur: tibi nunc hortante* [5] *Camœnâ*
Excutienda damus præcordia; quantáque nostræ
Pars tua sit [6] *Cornute* [7] *animæ, tibi dulcis amice,*

1 *Bullata* dicuntur verba ventosa, in quibus nihil est solidioris sententiæ. Metaph. sumpta ab aquarum bullis, quæ repentè apparent & repentè euanescunt, cuiusmo-

Osten-

Ostendisse iuuat : [8] *pulsa, dignoscere cautus,*
[9] *Quid solidum crepet, & pictæ* [10] *tectoria* [11] *linguæ.*

Persius poëta noster respondet ad Cornuti obiectionem.

Equidem non hoc studeo, vt pagina turgescat mihi nugis bullatis,] .i. mi præceptor Cornute, non equidem hoc molior, nec mei est propositi, vt liber meus nugacibus poëtarum figmentis à me impleatur & intumescat, [*idonea dare pondus fumo.*] .i. atque vt liber meus sit dignus poëtarum nugis dignitatem addere. [*secreti loquimur :*] .i. ô Cornute, tu & ego loquimur inter nos & sine arbitris, non ad ostentationem & iactantiam : [*damus tibi nunc præcordia excutienda, Camœnâ hortante ;*] .i. ego tibi nunc exhibeo cordis mei latebras tibi inspiciendas, Musâ meâ id exhortante ; [*& ô Cornute dulcis amice, iuuat ostendisse, quanta pars sit tua animæ nostræ :*] .i. ô amicorum dulcissime, me certè delectat, tibi versibus demonstrare, quantam partem habeas animæ nostræ : [*pulsa,*] .i. tu, ollas ementium more, experire me, quasi fideliam recèns coctam percutiendo, [*cautus dignoscere, quid crepet solidum, & tectoria linguæ pictæ.*] .i. tu, inquam, me explora, qui peritus es ad dignoscendum & distinguendum quid sonet solidè & qui satis doctus es ad discernendum linguæ adulatricis fucos & prætextus.

di sunt verba in modum vesicarum tumentia. 2 Carmen meum, vel liber meus. 3 Rei leuissimæ, cuius pondus non sit maius quàm fumi pondus, authoritatem aliquam addere. sic Horat. ——*& nugis addere pondus.* Lactantius. *Qui autem docent tantùm, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus.* 4 A vulgi conspectu remoti. i. non scribo vt fallaces populi fauores aucuper. 5 Sacrum est hoc Musarum nomen, quæ dicuntur *Camœnæ,* quasi canentes amœnè. 6 *Cornutus* fuit florentissimus sapientiæ professor, Persij magister, quem NERO misit in exilium anno quarto post mortem Persij. 7 Suauiter hoc dictum est, secundùm illam amicitiæ definitionẽ. φιλία ἐςὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Horat. Ode 11. lib. 1. *Et serues animæ dimidiũ meæ.* 8 Est allegoria sumpta ab emptoribus fictilium, qui pulsando explorant, vtrùm vasa sint rimosa, an solida & integra. Id enim ex sono quem emittunt facilè dignoscitur. 9 Quid emittat bonum an malum sonum. i. qui cautus es ac iudicij exacti, vt scias, quid in me solidi aut minus apti existat. 10 *Tectorium,* propriè est quoddam illinimentum siue parietis incrustatio, quod fit, cum calce aut cum gypso, ad maiorem spectantium gratiam & decorem. Hîc autem *tectoria* signant fucatos verborum colores, quando aliud corde tegitur, aliud linguâ ostenditur. 11 Loquentiæ fallacis.

Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Vt, quantum [1] *mihi te* [2] *sinuoso in pectore fixi,*

1 In animo & memoriâ meâ.

[3] *Voce* [4] *traham purâ : totúmque hoc verba* [5] *resignent,*
Quod latet arcanâ non enarrabile [6] *fibrâ.*

Hic vt traham voce purâ, quantum fixi te mihi in pectore sinuoso, atque vt verba resignent hoc totum quod latet fibrâ arcanâ non enarrabile, ego ausim deposcere voces centenas.] .i. hanc ob causam, vt oratione sincerâ eloquar, quàm firmiter te collocauerim in multiplicibus cordis mei latebris, atque vt verba mea aperiant omne illud quod reconditum est in pectore intimo, quod certè nullis verbis potest enarrari : hanc (inquam) ob causam ô Cornute, Ego Persius mille voces mihi exoptare audeam.

2 Quod multos habet recessus & largum sinum ad te capiendum.
3 Stili vbertate & eloquij facilitate.
4 Expromam, educam. Metaph. à nentibus sumpta.
5 Opertum amorem recludant.
Resignare, propriè valet *aperire* & *reuelare*, est enim contrarium suo simplici *signare*, quod est annulo signum imprimere. Antiqui *resignare* pro *rescribere* dicebant, sicut *subsignare* pro *subscribere*. Significat etiam *restituere*. Horat. Ode XXIX. lib. III. de Fortunâ. *Laudo manentem, si celeres quatit Pennas, resigno, quæ dedit.* —— Aliter Virg. lib. IV. Æneid. —— *& lumina morte resignat* .i. claudit. 6 *Fibræ* (vt antè notauimus) significant cuiuscunque visceris partes extremas, sed cordis sunt propriæ. Ouid. *Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras.*

Cùm primùm pauido [1] *custos mihi* [2] *purpura* [3] *cessit,*
[4] *Bullàque succinctis* [5] *laribus donata pependit:*
Cùm blandi comites, totáque impunè [6] *Suburrâ*
Permisit sparsisse oculos iam candidus [7] *vmbo:*
Cúmque [8] *iter ambiguum est, &* [9] *vitæ nescius error*
Diducit trepidas ramosa in [10] *compita menteis,*
Me tibi supposui : teneros tu suscipis annos
[11] *Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere* [12] *solers*
Apposita [13] *intortos ostendit regula mores,*
Et [14] *premitur ratione animus, vincique laborat,*
[15] *Artificémque tuo ducit sub pollice vultum.*

1 Quod alij prætextati ludis & voluptatibus tribuebant, id Persius tanquam ciuilis adolescens virtutis custodiæ assignat.
2 Prætexta toga, sic dicta, quòd ei purpura prætexebatur. Hæc, vnâ cum bullâ in vsum puerorum nobilium vsurpabatur, donec XVI. annos prætererant. quâ prætextâ tum depositâ, togam vi-

Causas

Causas iam enumerat Persius, cur tanto amore Cornutum præceptorem suum prosequatur. Inprimis verò se deuinctum ei profitetur, propter diligentem ad virtutem & disciplinam institutionem.

Supposui me tibi, cùm primùm purpura custos cessit mihi pauido,] .i. Ego me tibi erudiendum tradidi, vbi circa ætatis annum decimum sextum, prætexta vestis purpurea, pudicitiæ meæ custos deposita est à me, qui timidus eram sub pædagogi imperio, [*& cùm bulla donata laribus succinctis pependit:*] .i. quando bulla aurea à me suspensa est & donata dijs domesticis vestes succinctas habentibus: [*cùm comites blandi,*] .i. cùm mihi essent blandi monitores, qui ne præcipere quidem auderent, [*& cùm iam vmbo candidus permisit sparsisse oculos impunè Suburrâ totâ:*] .i. cùm iam clypeus candidus mihi permitteret impunè vagari, & oculos meos in meretricum diuersoria conijcere: [*& cùm iter est ambiguum, & error nescius vitæ deducit mentes trepidas in compita ramosa;*] .i. cùm illâ ætate incertum esset, quale genus vitæ ingrederer, & cùm iuuenilis error & viæ & vitæ humanæ ignarus, deduceret mentem meam teneram in varias & incertas deliberationes: [*tu Cornute, suscipis annos teneros sinu Socratico.*] .i. ibi tu ô Cornute, tanquam mater in sinu, me in teneris annis sanctissimâ educatione suscipis, & morali philosophiâ erudis. [*tunc regula solers apposita ostendit fallere mores intortos,*] i tum cùm me suscepisti, regula tua solers & accurata viuendi norma humanæ vitæ adhibita, demonstrauit mihi, quòd mores mali & intorti fallant homines & in perniciem, pertrahant, [*& animus premitur ratione, laborátque vinci,*] i. & tunc appetitus meus rationis imperio subiugabatur, contendebátque vt à ratione superetur, [*& ducit vultum artificem sub pollice tuo.*] .i. & animus meus tunc rudis, formam per te tanquam manu artificis laboratam adsumpsit.

rilem induebant, quasi vita viriliter non pueriliter posteà esset peragenda.
3 Locum dedit togæ virili.
4 *Bulla aurea*, nobilium puerorum Index, in cordis figuram erat formata, collo ad læuum pectus dependens, vt eam inspicientes, se homines esse cogitarent, si animo saperent. Hanc bullam, cùm prætextam exuerent, Laribus familiaribus consecratam suspendebant, quemadmodum puellę renunciantes virginitati, puppas Veneri donabant. Pers. Satyr. II. *Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.* Hinc liquidò apparet Persium poëtam nostrum claris parentibus ortum fuisse; quapropter hoc opus confecit non rerum penuriâ aut mendicitate coactus, vt quidam coniectant ex Prologo. 5 *Lares*, erant Dij domestici à matre Larâ, Nymphâ quam Mercurius compressit. Isti in Larario, sacrario domestico adorabantur. Scribit Lampridius Alexandrum seuerum in Lalario rem diuinam horis matutinis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat *Apollonium, Orpheum, Abrahamum, & Christum.* Lares *succinctos* Persius dixit, quia pellibus caninis induti erant & succincti, tum vt more canum

memi-

meminerint fures arcere, tum etiam vt sint conformes *succinctis*. i. viris militaribus, qui quò essent expeditiores, se cingebant. Cingebantur enim in militiam ituri, ex quo *cingulum militare* & *cingi* pro eo, quod est ad pugnam ornari. 6 *Suburra*, vicus fuit Romæ celebratissimus, viæ sacræ proximus, sic dictus quòd fuerit sub antiquâ vrbe. Ibi erant meretricum diuersoria, quò licebat tyrones descendere, potiùs quàm alienas permolere vxores. Hinc meretrices à poëtis dicuntur *Suburranæ*. 7 *Vmbo*, est media pars clypei, hîc autem ponitur pro toto clypeo, quem tyrones viri illi nouelli gerebant non ampliùs sub pædagogis victuri, quia militare poterant. *Albus* verò clypeus nouis militibus dabatur, eò nimirum, vt posteà res gestæ & egregia eorum facinora in scuto albo depingerentur. Per *candidum* igitur *vmbonem*, Persius se veluti Tyronem ostendit, qui nuper excesserat ex ephebis. Sunt qui exponunt *Vmbonem* Togam virilem, siue album amictum. 8 Ineunti adolescentiæ nihil est difficilius, quàm, quos & quales esse velimus deliberare, quod consilij imbecilitate accidere docet Cicero. 1. Offic. 9 Vitæ optandæ & eligendæ. 10 Appellantur *Compita*, vel ab eo quòd multæ viæ in vnum confluebant: vel à compotando, quòd rustici in Compitis sacrificare solebant. quòd *Ramosa* appellat, fortasse alludit ad literam Pythagoræ Y. Biuium enim anceps est & dubium. 11 Contubernio, & philosophiâ morali, quàm Socrates primus omnium inuenit. 12 Regula tua recta & in omni re prudens abs te mihi tradita & apposita, *solers fallere*. i. callens artem fallendi, non dolo malo sed bonâ fraude, sic, vt Cornuti solertia, tanquam aliud agendo, Persium pellexerit vt rectâ viâ incederet. 13 Mores valdè curuos & prauos. Præpositio (*In*) hoc loco auget, cùm alibi sæpiùs minuit, ex quo Præpositio priuatiua nuncupatur. 14 Coërcetur & regitur à ratione. 15 Formam viuendi artificiosam & philosophicè institutam ducit & adsumit sub tuâ disciplinâ. Metaph. ducta ab ijs qui ex cærâ formant imagines.

Tecum etenim longos memini consumere [1] *soles,*
Et tecum [2] *primas epulis decerpere noctes.*
[3] *Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo*
Atque [4] *verecundâ laxamus seria mensâ.*

Persius alia Cornuti in se beneficia commemorat.

Etenim memini consumere tecum soles longos, & decerpere tecum primas noctes epulis.] i. Quinetiam memini, quòd tecum integros dies colloquijs consumpserim, quódque primas noctis horas cœnâ & epulis tecum carpserim. [*disponimus ambo pariter vnum opus & requiem,*

1 *Soles* pro *diebus*. Causa pro effectis. Sic Virg. in Bucol. *Cantando longos memini me condere soles.*
2 Epulas in primâ parte noctis.
3 Simul laborauimus, simul requieuimus.
4 *Verecundis* sermonibus in mensâ, vbi quemuis

requiem,].i. vnum opus ſtudiorum & vnam laborum relaxationem ordinauimus,[*atque laxamus ſeria menſâ verecundâ.*] .i. atque in menſâ res graues honeſtis iocis temperamus.

ſe modeſtè gerere oportet, ne inter conuiuas DEVM & caſtas aures alicuius offendat, aut plùs iuſto adbibiſſe credatur.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere [1] ***certo***
Conſentire dies, [2] ***& ab vno ſydere duci:***
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora [3] ***librâ***
[4] ***Parca tenax veri: ſeu nata fidelibus hora,***
Diuidit in [5] ***Geminos concordia fata duorum;***
[6] ***Saturnúmque grauem noſtro Ioue frangimus vnâ.***
Neſcio quod, certè eſt quod me tibi temperat, aſtrum.

1 *Certo* ſtellarum fœdere & coniunctione gubernari.

2 Siue ſub Librâ, ſiue ſub Geminis, ſiue ſub alio quouis ſydere horoſcopum noſtræ natiuitatis habuerimus.

3 *Libra*, propriè eſt inſtrumentum quo res ponderantur cum lancibus. Eſt & *Libra* ſignum cœleſte, per quod octauo Calendas Octobris, ſeu, vt quidam exiſtimant, decimo tertio, ſol tranſiens, facit Æquinoctialem, Virg. *Libra die ſomnique pares vbi fecerit horas.*

4 *Parca* pro *fato* ponitur. Tres Parcæ ſunt numero, quas Noctis filias facit Heſiodus in Theog. Earum autem nomina ſunt è re ficta. *Clotho*, quia res

Affirmat Perſius tam mutuam animorum coniunctionem non potuiſſe inter eos prouenire, niſi ex fatali quodam ſyderum influxu & diſpoſitione.

Equidem non dubites hæc, dies amborum conſentire certo ſydere, & duci ab vno ſydere,].i.non ego equidem hoc dubitem, neque tu, QVI ES ALTER EGO, hoc poſſis dubitare, natales dies vtriuſque noſtrûm concordare certâ lege naturæ, & ab vnâ conſtellatione deduci: [*vel Parca tenax veri ſuſpendit tempora noſtra librâ æquali:*] .i. vel fatum immutabile, quod mentiri non poteſt, diſpenſat & æquâ libratione trutinat noſtræ natiuitatis tempora: [*ſeu hora nata fidelibus diuidit fata duorum in Geminos;*] .i. ſiue hora natiuitatis, quæ mihi ac tibi fidelibus amicis eſt exorta, æqualiter diſtribuit in Geminos, tua & mea fata inter ſe congruentia; [*& frangimus vnâ Saturnum grauem Ioue noſtro.*] .i. ſiue nos Saturni malignitatem Iouis benignitate pariter mitigamus. [*neſcio, quod aſtrum temperat me tibi, quod certè eſt.*] .i. neſcio, quod aſtrum me tibi coniungit, ſed tamen hoc ſcio, quod ex fatali aſtrorum influentiâ, hæc noſtra animorum fit coniunctio.

humanas orditur & connectit, *Lachesis*, cuius operâ suam quisque sortitur fortunam, *Atropos*, propterea quòd, necessitas illa fatalis nullo modo flecti aut immutari possit. Vndè illud Senecæ, *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* 5 Sub quo benigno & salutari sydere qui nati sunt, quamuis diuersis id fiat temporibus, mirâ inter se degunt concordiâ, & similia consectantur studia. Astrologorum est sententia. *Geminos* pro *Gemellus*. Horat. Epist. x. lib. 1. —— *ad cætera penè gemelli.* 6 Fingunt poëtæ *Saturnum* esse Deum, sic dictum (vt autumat Cicero) à *saturando*, quòd annis saturetur, *vel*, vt alij volunt, quia in deuorandis filijs se *saturauit*. Scribunt Astrologi astrum esse maleficum & perniciosum. vndè poëta. *Et graue Saturni sydus in omne caput.* Si quid erat (inquit Persius) quod Saturni malignitate in nostrâ genitura possit animos nostros diuidere, id totum Iouis clementiâ frangitur, quod benignum Astrum nos in Horoscopo positum habemus. Est *Saturnus* sydus graue & triste omnia deterens. Quibus verò præest, sunt stupidi, melancholici & infidi. vndè poëta. *Et graue Saturni sydus in omne caput.*

MILLE HOMINVM SPECIES, & rerum [1] *discolor vsus;*
VELLE suum cuiq; est, nec voto [2] *viuitur vno.*
Mersibus hic [3] *Italis mutat* [4] *sub sole recenti*
[5] *Rugosum piper, &* [6] *pallentis grana cumini:*
Hic satur, [7] *irriguo mauult* [8] *turgescere somno:*
Hic [9] *campo indulget; hunc alea* [10] *decoquit: ille*
In Venerem est [11] *putris.*

1 *Discolor* & *decolor* inter se differunt. Nam *discolor* significat quod colore est diuerso & dissimili, *decolor*, quod colore est vitiato vel sine colore.

2 Terent. QVOT *capita, tot sententiæ. Suus cuique mos est.* De nostrâ voluntate sic scribit Paulinus vir sanctus & elegans ad Iouium, vt benè notat Clauerius. —— *Ne per. as tradere fatis Arbitrium nostrum.* Hierocles sic, *Arbitrium nostrum secum prouidentiam adducit, & prouidentia voluntatis libertatem.*

Persius, vt meliùs illustret ipsius Cornuti concordem & parem amicitiam, docet quàm varia sint aliorum studia & ingenia, vndè aptè quidem descendit ad Satyræ materiam, quod alij alijs studijs detineantur; finem verò rectè viuendi sibi non proponunt cum Cornuto, qui veræ philosophiæ studio totus incumbit, & iuuentutem præceptis institutisque philosophiæ diligenter informat.

MILLE hominum species, & discolor vsus rerum;] .i. vt infinitæ sunt hominum figuræ, sic actiones rerum humanarum sunt variæ & diuersæ; [*VELLE suum est cuique,*] .i. propria voluntas vnicuique hominum inest, [*nec viuitur voto vno.*] i. nec omnes vnum & idem optant. [*Hic mutat piper rugosum, & grana cymini pallentis mercibus Italis sub sole recenti:*] .i. aliquis

aliquis pecuniam & opes congerere ſtudens, ſole recèns orto, merces mercibus commutat, ſc. piper rugoſum, & grana cymini pallentis mercibus Italicis: [*hic ſatur, mauult turgeſcere ſomno irriguo:*] .i. alius negligens & deſidioſus vbi vino & epulis ſatur eſt & plenus, pingue fieri mauult ſomno cerebrum irrigante, quàm diuitias accumulare: [*hic indulget campo*;] .i. alius vacat luſibus, quibus iuuenes in Campo Martio trans Tyberim ſe exercebant; [*alea decoquit hunc:*] .i. hunc aleæ luſus inopem reddit & conſumit: [*ille eſt putris in Venerem.*] i. alius eſt rei venereæ ita deditus, vt eneruetur & infami corporis libidine quaſi putreſcat.

verbum *Velle*, ponitur pro Nomine. Vt ſuperiùs Sat. I.—— *noſtrum illud viuere rectè.* 3 Mercibus ex Italiâ aduectis. 4 In Indiâ Orientali. 5 Mathiolus in Dioſcoridem lib. II. Cap. CLIII. ſcribit, Piper menſe Octobri per maturitatem decerpi, & ſub ferventi ſole tegetibus palmeis expanſum torrere, quouſque nigreſcat & rugoſum euadat, quod tridui ſpatio plerunque fit. 6 Cyminum (inquit Dioſcorides lib. III. Cap. LXVIII.) colorem bibentium aut perunctorum mutat in pallorem. Horat. Epiſt. lib. I. Cuminum *exangue* appellat, quia pallidum reddit. i. veluti exanguem. *Quod ſi pallerent, biberent exangue cyminum.* Vſque adeò hoc verum eſt, vt ſi qua mulier purpureum colorem faciei ceruſſâ aut alio aliquo fuco appinxerit, granis cymini manſis, ruborem illum continuò amittat & natiuum pallorem recipiat. 7 *Irriguus* dicitur ſomnus, quòd cerebrum inſtar riui campos præterlabentis, potus & vini exhalationibus irrigat. Virg. —— *feſſos ſopor irrigat artus.* Alij accipiunt pro ſomno leuiter obrepente. 8 Non ſolùm homines, ſed etiam animalia ſomno, otio & cibo pingueſcunt. vndè glis ſic loquitur. ———— *& pinguior illo Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.* Poëta fortaſſe reſpicit ad cutis ipſius torpedinem, quæ ex nimio ſopore prouenit. 9 Ludis in *Campo Martio* iuxta Tyberim, in quo iuuenes poſt exercitia natarent. 10 *Decoquere*, eſt *coquendo minuere*. vnde per Metaph. qui facultates ſuas vehementer minuunt vt fidem fallant, ſiue id ſuo, ſiue fortunæ vitio contingat, *Decoctores* dicuntur, quod ſæpè euenit aleatoribus. 11 Conſumptus in libidines & coitum. Horat. Ode XXXVI. lib. I. *Omnes in Damalim putres Deponent oculos.* ——

———— ſed cùm lapidoſa [1] chiragra
Fregerit articulos veteris [2] ramalia fagi,
Tum [3] craſſos tranſiſſe dies lucémque [4] paluſtrem,
Et ſibi iam [5] ſeri [6] vitam ingemuêre relictam.

Sed hos pleroſque (inquit Perſius) *qui vitam ſuam in iuuentute*

1 *Chiragra*, (qui morbus eſt in manuum carpo, digitorúm-ue articulis) tum tophi lapidiſue quaſi naturam induit, cùm humor illapſus craſſeſcit tem-

pore, & virtute caloris circumstantis, aut vi medicamentorum indurescit. *lapidosa* igitur, quia vt lapis, condensatur, & tumet veluti sardonix. Horat. Satyr. v i i. lib. i i. — —*postquam illi iusta chiragra Contudit articulos.*

uentute tam flagitiosè transegerunt, tum demum seriò sed sero pœnitet.

Cùm chiragra lapidosa fregerit articulos, ramalia veteris fagi,] .i. postquam chiragra nodosa senilis corporis iuncturas & membra, tanquam fagi annosæ ramalia contuderit, [*tum ingemuêre dies crassos, lucémque palustrem transisse,*] .i. tum deplorant dies vitæ suæ obscuros lucémque vitæ caliginosam prærerijsse, [*& seri ingemuêre vitam relictam sibi.*] .i. & tardè nimísque serò, quod superest vitæ, defleuêrunt.

2 Appositio. Articuli in calamitosâ senectute contusi & inutiles facti, sunt quasi arboris vetustæ rami aridi, in quibus fronde nudatis apparent nodi. 3 Dies in rerum ignorantiâ tanquam in tenebris actos. Poëta intelligit vitam ingloriam nocti obscuræ similem. 4 Vitam lutulentam & cœnosam absque virtutibus & literis actam. 5 In senectute. 6 Senectam morbis & miserijs obnoxiam.

1 Nocturnis studijs pallorem contrahere.
2 Qui iuuenilia ingenia literarum cultu expolis.
3 Metaph. ducta ab arboribus sylnestribus, quibus meliorum arborum surculi inseruntur.
4 Vide suprà quid de *Cleanthe* scripsimus. Memoriæ proditum est, eum Zenonis fuisse auditorem, adeò pauperem & laboriosum, vt noctu ex puteis aquam ad hortos Athenienfium irrigandos hauriret, cúmque pecunia non suppeteret ad chartas emendas, boum ossibus

At te nocturnis iuuat [1] *impallescere chartis.*
[2] *Cultor enim iuuenum purgatas* [3] *inseris aures*
Fruge [4] *Cleantheâ. petite hinc iuuenésque senésque*
[5] *Finem animo certum, miserísque* [6] *viatica* [7] *canis.*

At tua studia ó Cornute, à vulgaribus plebeculæ curis longè sunt aliena, siquidem.

Iuuat te impallescere chartis nocturnis.] .i. delectat te philosophorum libris dies noctésque insudare vsque ad pallorem. [*cultor enim iuuenum inseris aures purgatas fruge Cleantheâ.*] .i. tu enim iuuenum præceptor, inserendo imbuis & excolis aures, Stoicorum doctrinâ vitijs expurgatas. [*iuuenésque senésque, petite hinc finem certum animo, & viatica miseris canis.*] .i. ô iuuenes, atque ô senes ex hac philosophiâ, petite & parate animis vestris certum vitæ genus, hinc etiam ex philosophiæ studio vobis senio confectis, aliàs miseris futuris, virtutem & sapientiam quasi viaticum comparate.

aut

aut testis fictilibus inscriberet quæ à Zenone audierat. 5 Ad quem finem omnia dicta & facta vestra spectare debent. 6 *Viaticum* dicitur, quicquid ad iter conficiendum est necessarium, siue cibus sit, siue pecunia ad victum expendenda. Græci ἐφόδιον vocant. Hic signat virtutem quâ nullum est senectuti firmius præsidium. Innuit etiam Poëta hanc vitam esse quasi peregrinationem. 7 *Cani*, Substantiuum, capillos præ senectute albos, denotant. *Intempestiui funduntur vertice cani.*

[1] Cras hoc fiet. Idem cras fiet: quid? quasi magnum,
Nempe diem, donas? sed cùm lux altera venit,
Iam [2] cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
[3] Egerit hos annos, & [4] semper paulum erit vltrà.

1 Martialis. *Sera nimis vita est crastina, viue hodie.*
2 Nota, quod Nomen & Aduerbium plerumque in se transeunt. Nomen in Aduerbium vt —— *toruúmque repentè clamat*.i. toruè. Item Aduerbium in Nomen, vt hoc loco & suprà Satyr. III. —— *iam clarum mane fenestras Intrat.*
3 *Egerit*, à verbo *egero*, quod significat *emittere, euacuare, extrà portare.* seu potiùs vt placet alijs, *egere*, hic est quasi *pellere*. Horat. *Truditur dies die.*
4 Dies illa per desidiam tuam amissa nunquam poterit reuocari, sed te semper præcedet & erit paulum vltrà .i. paulum antè.

Verba sunt iuuenis alicuius ignaui, qui rectè viuendi horam prorogat, ac dicit, ô Persi,

Cras hoc fiet.] .i. die insequenti quod iubes exequar, .i. incipiam benè viuere & virtutis studium sedulò capessere. [*idem cras fiet:*] .i. vbi illa crastina dies aduenerit (inquit Persius) tu ignaue, idem dices, sc. cras faciam, sed nunquam facies: [*quid? nempe donas diem, quasi magnum?*] Ignauus iste Persio succensens, quòd verba eius repeteret, dicit, Quid ais Persi? concedisne mihi ægrè vnam dieculam ad voluptatibus indulgendum, quasi aliquod magnum temporis spatium concederes? [*sed cùm lux altera venit.*] Respondet Persius, ô desidiose, Ego donarem tibi diem non tanquam rem magnam, vt otio indulgeas, sed cùm illa præterijt, in quâ te mores tuos emendaturum pollicebare, [*iam consumpsimus hesternum cras:*] .i. quod heri dicebatur cras, hodie perdidimus & transactum est, nec tu tamen vitam tuam corrigis: [*ecce aliud cras egerit hos annos,*] .i. tunc ecce aliud cras, & rursus aliud cras (quod tu tibi donari postulas) omnes ætatis tuæ annos consumit, [*& semper paulum erit vltrà.*] .i. & per eiusmodi procrastinationem, semper vitæ tuæ aliquantulum erit vltrà & præteritum, quod reuocare non potes.

Nam, quamuis prope te, quamuis [1] *temone ſub vno,*
Vertentem ſeſe fruſtra ſectabere [2] *canthum:*
Cum rota [3] *poſterior curras, & in axe ſecundo.*

Perſius per ſimilitudinem Currus, eleganter oſtendit, diem amiſſam nunquam poſſe recuperari.

Nam, fruſtra ſectabere canthum vertentem ſeſe, quamuis ſit prope te, quamuis ſit ſub vno temone, cùm curras rota poſterior & in axe ſecundo.] .i. quamuis enim, ô rota in curru poſterior, rota prior prope te ſit, vt iamiam te illam aſſequi poſſe exiſtimas, quamuis etiam illa prior rota ſit tecum ſub vno temone: tamen cùm tu curras poſterior in curru rota & in ſecumdo axe circumuoluare: fruſtrà tu quidem conaberis canthum aſſiduè currentem inſequi. Nam quantò poſterior axis magis progredictur, tantò prior magis antecedit. ſimillimè illud cras heſternum quod ſemel effluxit & eſt præterlapſum, nunquam poteſt à procraſtinatore reſtitui aut recuperari.

1 *Temo*, Græcè, ῥυμός ſic dictus à *tenendo*, eſt lignum currus inter equos intermedium, continens iugum in curru.
2 *Canthus*, eſt ferreus rotæ circuitus. *canthus* pro *rotâ*. ſignificat etiam oculi angulum.
3 Rotam ſequens antecedentem.

[1] *Libertate opus eſt; non hac, qua quiſque* [2] *Velinâ*
[3] *Publius* [4] *emeruit,* [5] *ſcabroſum teſſerulâ far*
Poſſidet. ————

Finitis Cornuti laudibus, Poëta digreditur ad libertatis definitionem, quâ ſcilicet opus eſt ad benè viuendum ſecundum normam virtutis, cuius fundamentum vera libertas eſſe videtur.

Opus eſt libertate;] i. affectanti ſtudium ſapientiæ, atque volenti mores ſuos in melius commutare, opus eſt libertate; [*non hac, qua quiſque Publius in Velinâ tribu poſſidet far ſcabroſum teſſerulâ, vt emeruit.*] .i. non opus eſt hac libertate per quam vnuſquiſque ſiue Publius ſit, ſiue alius quiſpiam ex ſeruo factus liber, & in Velinâ tribu conſtitutus, frumentum publicum accipit, ſimul ac ſeruitutem exuit.

1 Non corporis ſed animi libertate, quæ nos à vitijs vindicat. Seneca. *Philoſophiæ inſeruias oportet, vt tibi contingat vera libertas.*
2 *Velina* tribus à *Veliâ* colle vrbis Romæ fortaſſe à lacu *Velino* dicta eſt. Horat. Epiſt. v 1. lib. 1. —— *hic multum in Fabiâ valet, ille Velinâ.*
3 Qui iam manumiſſus prænomen patroni adeptus eſt, vt *Publius* vocetur. Serui enim non habebant prænomen antequam ciues fierent, ſed libertate donati prænomen

nomen sumebant, & vni tribuum adscribebantur. vt, *Publius Licinius Velina.* 4 Seruitute solutus est. Metaph. est à bello. Nam *emeriti* dicuntur milites, qui honestà causâ à militiæ munere remittuntur domum. 5 Asperum & vetustate rugosum, quale ciuibus Romanis distribuebatur viritim per tribus. Tesserulâ namque exhibitâ. (.i. signo frumentario Anglicè a Token) vnusquisque frumentum pro portione accipièbat à principe, vt scribit Sueton. in Augusto.

——Heu steriles veri, quibus vna [1] Quiritem
[2] Vertigo facit : hic [3] Dama, est non [4] tressis
[5] agaso,
[6] Vappa, et lippus, & in tenui [7] farragine mēdax.
Verterit hunc dominus, [8] momento turbinis
exit
[9] Marcus Dama. ——

1 Ciuem Romanum, sic dictum à *Quirino*.i. *Romulo* Romani generis authore. vide suprà.

2 *Vertigo*, hic signat serui circumagitationem, vel motum in orbem factum. Dominus enim volens seruum manumittere, illum ad prætorem ducebat, manúmque capiti eius imponens seruum circumagitabat, dicens, *Volo hunc esse liberum*. vel, *Esto liber*. Illa autem circumactio significabat seruum iam sui iuris esse, & in quamcúnque partem vellet, migrare potuisse. 3 *Dama* nomen est seruile, de quo Horat. *——prodis ex iudice Dama Turpis, odorat um caput obscurante lucernâ Non es quod simulas.* —— 4 Vilis, quasi trium assium. 5 *Agaso*, propriè est equorum ductor vel iumentorum curator. Apud Horatium Satyr. v i i i. lib. i i. *Agaso* significat ineptum vel absurdum escarum ministrum.—— *si patinam pede lapsus frangat agaso.* 6 *Vappa*, propriè est vinum quod degenerat à bonitate & naturâ vini. per Metaph. significat hominem nequam, insipidum, & ad nullam rem vtilem. 7 In iumentorum pabulo & cæteris rebus vilissimus fraudulentus. 8 Subitò, quasi in ictu oculi fit liber, postquam est circumuersus, instar turbinis à puero scuticâ circumacti. 9 Accipit nomen domini sui, qui *Marcus* vocabatur, & sic vtpote ciuis Romanus prænomen est adeptus. Cuiuis enim manumisso (vt antè diximus) prænomen dabatur à domino, simul & alapa coram Prætore,

Heu steriles veri,] .i. heu ciues Romani tam cæci & amentes, vt verum à falso distinguere nesciatis, [*quibus vna vertigo facit Quiritem :*] .i. quibus vna in gyrum circumactio facit liberum, & ciuem Romanum : [*hic Dama est agaso non tressis, vappa & lippus, & mendax in tenui farragine.*] .i. hic seruus (Dama nimirum) est iumentorum curator, nullius pretij, insulsus nebulo, animo cæcus, & in rebus leuiculis falsus. [*dominus verterit hunc, Marcus Dama exit momento turbinis.*] .i. esto quòd dominus hunc in gyrum circumducendo manumiserit, statim euadet liber & ciuis Romanus, cum prænomine *Marco.*

tore, vt genæ in ciuem ruberent. *Dama* igitur vile mancipium, vocatur *Marcus Dama*.i. libertinus & ciuis, quatenus à *Marco* est manumissus.

——papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est, assigna Marce [1] tabellas.
[2] Hæc mera libertas, hanc nobis [3] pilea donant.

Ironica admiratio, quòd Marcus nuper manumissus tot libertatis iura subitò est adeptus, nempe vt possit pro alio stipulari & fidem interponere, deindè vt Iudex esse possit, & testis, atque tabellas testamentorum obsignare, quæ omnia seruis sunt negata.

Marco spondente,] .i. si Marcus spondeat pro alio, [*recusas tu credere nummos?*] .i. num dubitas tu pecunias alicuius fidei committere? [*palles sub Marco iudice?*] .i. an trepidas, litem per iniustam sententiam amittere, vbi Marcus (vir integerrimus) est iudex? [*Marcus dixit: ita est.*] .i. si Marcus Dama dixerit rem ita se habere, da fidem ita esse, [*Marce assigna tabellas.*] .i. ô Marce, cùm tibi nuper seruo tabellas obsignare non licebat, agè nunc, testamentum conde, atque aliorum testamentis signum tuū tanquam testis appone. [*hæc mera libertas,*] .i. hæc est, si dijs placet, vera & sincera libertas, quæ tot priuilegia secum adportat, [*pilea donant nobis hanc*] .i. hanc falsam libertatem pileus (libertatis indicium) dat manumissis.

1 *Tabellæ* siue tabulæ, sunt testamenta vel publicæ scripturæ ex quacunque materiâ. Ad testamenta signanda septem numero signatores adhibebantur, vt nulla fraus perpetraretur.
2 Si legas sine interrogatione, est Ironia amara, ceu potiùs Sarcasmus.
3 *Pileus* vel *pileum* libertatis fuit insigne. In templo enim Feroniæ, quæ libertorum Dea perhibebatur, serui cùm libertate donarentur, raso capite pileum accipiebant. Credo equidem *pileum* apud veteres virtutis spectatæ fuisse indicium, ex quo venit in consuetudinem, vt qui *Doctoris* titulo decorantur, pileum accipiant.

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? [1] licet, vt volo, viuere: non sum
Liberior [2] Bruto?——

Ad refellendum illam poëtæ Ironiam, pileatus quidam libertus ex definitione libertatis obijcit & probat se esse liberum, dicens,

An quisquam alius est liber, nisi cui licet ducere vitam
vt

1 Hìc libertatem animi à libertate corporis distinguere oportet. Liber enim non est, qui prauis inseruit cupiditatibus.
2 *Marcus Iunius Brutus* adeò libertatis studiosus

vt voluit? licet viuere, vt volo, non sum liberior Bruto?] Syllogismus est integer.

Maior. Liber est qui potest suo arbitratu viuere,

Assumptio. At ego iam manumissus, meo possum arbitratu viuere

Conclusio. Ergò ego sum liber.

fuit, vt expulso Tarquinio superbo propter Lucretiæ stuprum, proprijs etiam filijs non pepercit, sed eos virgis cæsos securi percussit, propterea quòd cum Aquilijs & Vitellijs, de reducendo rege, coniurassent.

———mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurum mordaci lotus [1] *aceto.*
Hæc reliqua accipio: licet, vt volo, viuere, *tolle.*
[2] *Vindictâ postquam* [3] *meus à Prætore recessi,*
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
[4] *Excepto, si quid* [5] *Masuri* [6] *rubrica vetabit?*

Respondet Persius. *Hic Stoicus lotus aurem aceto mordaci, inquit colligis mendosè.*] .i. aliquis philosophus ex sectâ Stoicorum habens aurem acri disciplinâ purgatam, quæ facilè tuam crassam deprehendit ratiocinationem, inquit, ô Marce Dama, falsè tu quidem argumentaris, Nam, [*accipio hæc reliqua:*] .i. Admitto tuam maiorem propositionem esse veram: [*sed tolle, licet, vt volo, viuere,*] .i. tolle hoc igitur quod assumis. i. nego Assumptionem. Nam tibi manumisso non licet tuo arbitratu viuere. [Dama Assumptionem negatam sic conatur probare. *postquam recessi meus à Prætore vindictâ,*] .i. postquam ego vindictâ Prætoris pronunciatus sum liber, [*cur non liceat mihi quodcunque voluntas iussit?*] .i. quidni mihi liceat facere, quodcunque voluntati meæ placuerit? [*excepto, si quid rubrica Masuri vetabit.*] .i. eo tantùm excepto, quod ius publicum prohibebit.

1 *Acetum* pro acutâ disciplinâ. Nam acetum acrimoniam habet vehementem.

2 *Vindicta* erat ea virgula, quâ Prætor seruum in libertatem vindicabat.

3 Mei iuris, meæ potestatis. Terent. in Phorm. *Ego meorum solus sum meus.*

4 Hæc dictio pro Nomine vel Verbo indifferenter accipi potest, & sensus erit idem.

5 De *Masurio* crebra fit mentio apud Aulum Gellium. Fuit enim magnus Iurisconsultus & tandem in Equitum ordinem receptus, sed adeò pauper & egenus (quod bonis & honestis Iuridicis aliquando accidit) vt ipsum senio confectum sui aluere discipuli.

6 *Rubrica* hoc loco ponitur pro Lege, cuius titulus vel initium minio notabatur. Iuuenal. —— *perlege rubras Maiorum leges.*——

Disce: sed ira cadat [1] *naso, rugosáque* [2] *sanna,*
Dum

1 Metaph. à canibus, qui naribus

Dum veteres [3] *auias tibi* [4] *de pulmone reuello.*
Non Prætoris erat stultis dare [5] *tenuia rerum*
Officia, atque vsum [6] *rapidæ permittere vitæ.*
[7] *Sambucam citiùs* [8] *caloni aptaueris* [9] *alto.*

Heus Dama inepte (inquit Persius) *cùm nihil intelligas de vera libertate, quam per manumissionem putas te consequi posse,*

Disce:] .i. disce ex me, quæ sit vera libertas: [*sed ira cadat ex naso, rugosáque sanna,*] .i. sed vt meliùs possis discere, abijciatur ira à naribus tuis caninis, & remoueatur salutarium præceptionum irrisio, [*cùm reuello auias veteres tibi de pulmone.*] .i. dum ego de scrinio cordis tui anilia deliramenta extirpo & reuello. [*Non erat Prætoris dare stultis tenuia officia rerum,*] .i. non ad Prætorem, sed ad virum sapientem & philosophum pertinebat, hominibus stultis acuta rerum officia, & sapientiam, quæ vera est libertas, concedere, [*atque permittere vsum vitæ rapidæ.*] .i. nec in Prætoris erat potestate, indoctis & socordibus hominibus vitæ rectè agendæ scientiam exhibere. [*citiùs aptaueris sambucam caloni alto.*] .i. longè enim faciliùs sambucam vasto accommodabis caloni, sc. vt fiat Musicus, quàm vt Prætor suâ vindictâ stultis tribuat sapientiam.

in rugam contractis iram demonstrant. sic in homine, habitus nasi iram indicat. 2 *Sanna* est irrisio, quæ ab occipitio distorto, ore & labris contractis fit, anteriorum dentium ostentatione, quo gestu, quia os & nares corrugantur, sanna hic dicitur *rugosa*. 3 Veteres fabulas, quas ab auijs tuis didicisti. 4 De corde, pectore, vel animo. 5 Res subtiles & magni momenti. Trisyllabum est, vt alibi. 6 Quæ velox est & celeriter transit tanquam vndarum fluctus. 7 *Sambuca* est quoddam instrumenti Musici genus triangulare, primùm à Sambuco inuentum, Anglicè **a Harpe**. significat etiam machinam militarem, quâ vrbium muri expugnantur. 8 *Calones*, serui militum, qui dominos ad prælium sequentes portabant ligna. 9 Rudi, inepto & *ἀμύσῳ*. Homines enim longi, prægrandes & staturâ abnormi, ferè minùs sunt ingeniosi, in quibus anima in longitudinem distenta resoluitur; contrà verò in hominibus staturæ breuis, constipata & compacta est anima in vniuerso corpore.

Stat contrà ratio, & secretam [1] *gannit in aurem,*
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturáque continet [2] *hoc fas,*
[3] *Vt teneat vetitos inscitia* [4] *debilis actus.*
Diluis [5] *helleborum, certo compescere* [6] *puncto*
Nescius

1 Inclamat ad aurem conscientiæ. Metaph. à vulpibus ducta, *vel*, vt alij volunt à canibus, qui conqueri videntur quasi ploran-

Nescius [7] *examen? vetat hoc natura medendi.*
Nauem si poscat sibi [8] *peronatus arator*
[9] *Luciferi rudis, exclamet* [10] *Melicerta perisse*
[11] *Frontem de rebus.* ——

Vt stultus Prætor (inquit Persius) *possit stultis sapientiam conferre, est contra sensum communem.*

Ratio stat contrà, & gannit in aurem secretam,] .i. humana ratio contradicit & tacitè quasi immurmurat, [*ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.*] .i. ne quis id agere tentet, quod dum agit contaminare & vitiare poterit. [*publica lex naturáque hominum continet hoc fas, vt debilis inscitia teneat actus vetitos.*] .i. Lex non scripta, sed Lex nobiscum nata hanc iustitiam in se complectitur, vt infirma ignorantia abstineat ab ijs quæ supra se sunt, neque artem exerceat quam non nouit. [*diluis helleborum, nescius compescere examen puncto certo:*] .i. tu, qui medicus non es, si ægrotanti, helleborum cum alijs pharmacis temperes, neque scias debito pondere examen eius coercere: [*natura medendi vetat hoc.*] .i. ars medica hoc ipsum prohibet. [*si arator peronatus rudis Luciferi poscat sibi nauem, Melicerta exclamet frontem perijsse de rebus.*] .i. si rusticus ocreatus astrorum imperitus, suscipiat nauis gubernationem: Melicerta, Deus marinus, præ indignatione exclamet, omnem pudorem de actionibus humanis esse ablatum.

do. Anglicè. by whyping. 2 Hanc equitatem 3 Vt contineat se à prohibitis. *Vel,* vt inhibeat & remoretur actus ob inscitiam prohibitos. 4 Ignorantia homines reddit *debiles*, quò minùs ardua negotia sustineant. 5 *Elleborus*, qui atram bilem purgandi maximam vim habet. hîc pro quouis medicamento ponitur. 6 Vnciarum puncto. Metaph. à trutinæ specie, quæ certis vncijs & punctis est distincta. Libra est sine lancibus. 7 *Examen*, stilus est in staterâ, qui, quò pondus se vergit, exit. 8 Perone calceatus. *Pero* autem est calceus rusticus, factus ex corio crudo contra niues, imbres & frigora. Virg. VII. Æneid. —— *vestigia nuda sinistri Instituere pedis, crudus tegit altera pero.* 9 *Lucifer*, est stella Veneris quum antegreditur solem, quum subsequitur, est *Hesperus.* ponitur hic pro omnium astrorum cognitione. Veteres enim ad astra nocte nauigabant, sicut nostro tempore ad acum lapide magnete tactam & temperatam. 10 *Melicerta* fuit filius Athamantis ex Ino Cadmi filiâ, qui Veneris marinæ precibus in numen marinum transmutatus, *Palæmon* est vocatus, & fluctibus excubias agens, notat omnes nauigandi imperitos. 11 Pudorem siue verecundiam, cuius sedes est frons.

——*Tibi recto viuere* [1] *talo*
Ars dedit? & veri speciem dignoscere calles,
Ne

1 Ire rectâ viâ. secundum virtu-

Ne qua [2] *subærato* [3] *mendosum tinniat auro:*
Quæque sequēda forent, & quæ vitāda vicissim,
Illa priùs [4] *cretá, mox hæc carbone notâsti.*
Es [5] *modicus voti,* [6] *presso lare, dulcis amicis,*
Iam nunc adstringas, iam nunc [7] *granaria laxes,*
[8] *Inque luto fixum possis transcendere nummum,*
Nec [9] *gluto sorbere saliuam* [10] *Mercurialem.*
Hæc mea sunt, [11] *teneo, cum verè dixeris: esto*
Libérque, ac sapiens, [12] *Prætoribus ac Ioue dextro.*

Persius iam docet, quis sit verè liber, & quibus signis possit dignosci.

Ars dedit tibi viuere talo recto,] .i. si philosophia tibi concessit in rectâ honestatis viâ incedere, [*& calles dignoscere speciem veri,*] .i. & si callidè scis discernere similitudinem veri ab ipso vero, [*ne qua tinniat mendosum auro subærato:*] .i. nequa species auri veri te fallat tinnitu, cùm sit aurum subæratum: [*si quæ forent sequenda notâsti priùs illa cretá, vicissim si quæ euitanda forent, mox notâsti carbone.*] .i. si quæcunque in vitâ appetenda, & rursum quæcunque fugienda pernoscere studuisti. [*& modicus voti, lare presso, dulcis amicis, iam nunc adstringas, iam nunc laxes granaria,*] .i. si moderata cupis, contentus tugurio & modicis facultatibus, si erga amicos benignus es, ita vt aliquando granaria tua occludas, aliquando aperias, [*& possis transcendere nummum fixum in luto,*] .i. si ab auaritiâ adeò es remotus, vt vultu erecto nummum â pueris in luto fixum, possis transire & contemnere, [*nec gluto sorbere saliuam Mercurialem.*] .i. si denique non vt auidus helluo saliuam Mercurialem sorbeas. [*cùm verè dixeris, hæc mea sunt, teneo;*] .i. cùm de te verè pronunciâris, Hæ virtutes, hæc omnia officia superiùs enumerata, sunt mea, atque hæc ego possideo: [*esto liber, ac sapiens Prætoribus ac Ioue dextro.*] .i. tunc concedo tibi vt sis verè liber, ac verè sapiens Prætoribus fauentibus, ac Ioue propitio.

rem viuere. per Metaph. ab illis sumptam, qui non incedunt pedibus obtortis, in hanc vel illam partem vacillantibus. Terent. *Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris.*

2 Intelligit monetam in superficie auream, quæ æs habet interiùs loco auri latens, aut mixtum cum auro.

3 Absurdum edat sonum, quo mendam & falsitatem indicet. Est epitheton falsæ monetæ aptissimum.

4 Notâ albâ vel albo lapillo, quo bona & felicia veteres signabant, mala autem & infelicia carbone nigro. Horat. satyr. III. lib. II. *——cretâ an carbone notandi.*

5 Cuius vota & desideria modum nouerint.

6 Domo exiguâ, *Vel*, tugurio. *Lar* pro familiâ apud Horat. Epist. I. lib. I. *Ac, ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter?* .i. quâ familiâ.

7 *Granarium*, est locus in quo grana frugum reponuntur. 8 Est allusio ad pueros, qui numisma aliquod in viâ publicâ vel

clauo

clauo figunt, vel funiculo adstrictum habent, eò nimirum, vt auari prætereuntes eâ specie elusi, id tollere conentur, quam ob causam à totâ viciniâ irrideantur. 9 *Gluto*, homo vorax à *glutiendo*. ponitur hîc pro opum auido. Ambros. *Sic amat Diabolus filios suos vt perdat, sicut amat gluto porcellum, vt comedat.* 10 Lucrum, cui præest *Mercurius*. Est Allegoria tracta à gulosis, qui visis cibis iucundis, saliuam in ore versant & deglutiunt. 11 Hæc verè ac iusto titulo possideo. 12 Prætoribus tibi dextris quoad corporis libertatem, & Ioue tibi fauente, quoad animi libertatem.

Sin tu, cùm fueris nostræ paulò antè [1] *farinæ,*
[2] *Pelliculam veterem retines, &* [3] *fronte politus*
Astutam [4] *vapido seruas sub pectore* [5] *vulpem:*
Quæ dederam suprà, repeto, [6] *funémque reduco.*

Quod si (inquit Persius) post veram philosophiam acquisitam, tu fallacias fraudésque retinens eam deseras ad vomitum redeas, tum vero libertatem animi & corporis quam concesseram, tibi adimo.

Sin cùm fueris nostræ farinæ paulò antè, tu retines pelliculam veterem, & politus fronte seruas astutam vulpem sub pectore vapido:] .i. verùm enimuerò cum tu ô Dama paulò antequàm manumittereris, seruus fueris, & eiusdem prauitatis nobiscum: si tu post manumissionem, pristinos mores tanquam veterem pelliculam retines, & aliquid politi extrinsecùs tantùm præferens, seruiles dolos sub corde tuo caliginoso seruas: [*repeto quæ suprà dederim, & reduco funem.*] .i. quæ suprà tibi attribueram sc. veram libertatem & sapientiam, illa iam rursus à te aufero,

1 Per omnia similis. Metaph. à panibus, qui facti ex eâdem farinâ eundem habent saporem.
2 Antiqua mentis vitia. Allegoria sumpta ab illis qui alijs coloribus sese pingunt, veterem verò pellem retinent. Cuius farinæ non pauci sunt hac nostrâ ætate, *Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt*, qui se viros sanctissimos ostentant, & intereà vitam flagitiosam degunt, qui pacem atque alias virtutes populo prædicant, lites tamen, iurgia & capitales inimicitias, inter vicinos secretò suadent, excitant, commouent. ἄλλα μὲν λέγουσι, ἄλλα δὲ πράττουσι. vt est in Æsopi fabulâ. *Nulli* (inquit Seneca) *peiùs merentur de omnibus mortalibus, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipiunt.* 3 Boni viri speciem præ se ferens. 4 Sub pectore turbido & vitiorum pleno. 5 Vulpinos mores. 6 Te fune retractum & vinctum, seruum adhuc iudico. Metaph. à bestiarijs, qui equos vel alias bestias lasciuire permittentes, eas posteà retrahunt & frænis funibúsue coercent.

Nil

Nil tibi concessit ratio : [1] *digitum exere, peccas.*
Et quid tam paruum est ? sed nullo thure [2] *litabis,*
Hæreat in stultis breuis vt semuncia [3] *recti.*
Hæc miscere [4] *nefas, nec, cùm sis* [5] *cætera fossor,*
Treis tantùm [6] *ad numeros Satyri moueare* [7] *Bathylli.*

Cùm malus sis ô Dama, ac proindè seruus, quippe qui cupiditatibus habenas effusè laxas, eisque seruis : certè,

Ratio concessit tibi nihil :] .i. sapientia nihil sui permisit tibi habere : [*exere digitum,* & *peccas.*] .i. rem minimam aggredere, sc. vt digitum tuum possis exerere, mox in culpam incurris. [*& quid est tam paruũ ?*] .i. quid verò est minoris momenti, quàm digitum posse decenter vt oportet exerere ? [*sed litabis nullo thure, vt breuis semuncia recti hæreat in stultis.*] .i. sed nullo sacrificio impetrabis à Deo, vt in te stulto & vitiorum seruo, minima rectæ rationis semuncia aut virtutis scintillula hæreat. [*nefas miscere hæc.*] .i. sapientiam cum stultitiâ commiscere est impossibile, [*nec moueare tantùm ad tres numeros Bathylli Satyri, cùm sis fossor cætera.* .i. nec, cùm sis rusticus rudis & agrestis quo ad cætera, possis tu quidem saltare ad tres tantùm rythmos Bathylli saltatoris.

1 Est Stoicorum dogma nihil posse à quoquam rectè administrari, nisi à sapiente. stulti igitur ne digitum quidem, quod minimum est corporis membrum, sine culpâ mouere aut ostendere possunt.
2 *Litare* significat, sacrificio facto Deos placare votúmque impetrare.
3 Rationis. nam rectè fiunt, quæ cum ratione fiunt.
4 ἀδύνατον non pote. impossibile. Horat. Od. XXIIII. lib. I. *Quicquid corrigere est nefas.*
5 In cæteris rebus Rusticus agros exercens.
6 Saltatio, quemadmodum & Musica, numeris certísque pedum dimensionibus constat. 7 *Bathyllus* adolescens formosus, Neronis seculo saltator fuit egregius, quem à pedum agilitate Persius appellat *Satyrum.*

Liber ego. vndè datum hoc sumis, tot subdite [1] *rebus ?*
An dominum ignoras, nisi quem [2] *vindicta relaxat ?*

Sunt verba Damæ manumissi. sc. ô Persi,

Ego liber.] .i. ego sum mei iuris, nullius imperio subditus. [Respondet Persius, *subdite tot rebus vndè sumis hoc datum ?*] .i. ô mancipium miserrimum, vndè

1 Tot vitijs, quæ tanquam domini tibi imperant.
2 De *Vindictâ,* vide suprà.

hoc tibi assumis, vt dicas te esse liberum, cùm tot dominis sis subiectus ? [*an ignoras dominum, nisi quem vindicta relaxat ?*] .i. non-ne agnoscis alium esse dominum, nisi illum a quo Prætoris virgula te liberauit.

I puer, & [1] strigiles [2] Crispini ad balnea defer,
Si increpuit, [3] cessas nugator ? seruitium acre
Te nihil impellit : nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod neruos agitet. sed si intus, & in iecore ægro
Nascuntur [4] domini, [5] quî tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit [6] herilis ?

Poëta docet animi quàm corporis seruitutem esse multò grauiorem, quod varijs ostendit exemplis. Dama igitur manumissus, cùm sit vitijs obnoxius duram seruit seruitutem.

Si increpuit, I puer, & defer strigiles ad balnea Crispini, cessas nugator ?] .i. si dominus aliquis cum increpatione dixerit, Vade serue, & porta strigiles ad balnea Crispini, quibus inter lauandum radat. cessas adhuc desidiose ? [*seruitium acre te nihil impellit :*] .i. tale corporis tui seruitium quamuis acre, te manumissum nihil vrget, nihil territat : [*nec quicquam intrat extrinsecus quod agitet neruos.*] .i. nec vlla res à domino exteriori (corporis nimirum) te intrat quod mentis tuæ neruos excrutiet. [*sed si domini nascuntur intus & in iecore ægro, quî tu exis impunitior, atque hic, quem scutica & metus herilis egit ad strigiles ?*] .i. sed si vitia, quæ tibi dominantur, nascantur in corde & in iecore tuo ægrotante : dic quæso, quomodò euadis minùs punitus, quàm hic seruus, quem flagellum & domini sui metus impellit ad strigiles in balnea deferendas ?

1 *Strigil* vel *Strigilis*, significat propriè instrumentum ex ferro dentatum, à *stringendo*.i radendo, quo equi & id genus iumenta expoliri solent. Anglicè a Horse-combe. Eo facto ex auro vel argento vtebantur veteres, ad detergendum sordes & corporis sudorem, præcipuè in Balneis.
2 *Crispinus* homo fuit opulentissimus, qui domi suæ (vt alij Romani potentiores) thermas habuit & Balnea sibi & amicis.
3 Sunt verba domini voce imperiosâ seruum increpantis.
4 Desidia, auaritia, luxuria, ambitio & alia vitia huiusmodi.

5 Quo modo ? 6 Metus, quo dominus à seruo timetur.

Manè piger stertis : Surge, inquit Auaritia ; Eia.

Surge.

Surge. Negas. instat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
En quid agam? rogitas? en, [1] saperdam aduehe Ponto,
[2] Castoreum, [3] stupas, [4] hebenum, thus, [5] lubrica Coa.
Tolle recens [6] primus piper è [7] sitiente camelo:
Verte aliquid, iura. [8] Sed Iupiter audiet; eheu!
[9] Baro, regustatum digito [10] terebrare salinum
Contentus perages, si viuere [11] cum Ioue tendis.

Est Dialogismus inter Damam & Auaritiam, quo docet poëta Damam à Prætore manumissum, liberum, tamen esse miserrimum, quatenùs pigritiæ, auaritiæ, libidini atque alijs animi affectibus seruit.

Tu piger stertis manè:].i. vbi tu ignauus dormis in multam diem: [*Auaritia inquit, Surge, eia surge: negas, instat. surge inquit, non queo, surge.*].i. Auaritia ter quatérue te inclamat voce imperiosâ compellans, surge piger, agè surge. quòd si surgere recuses, Auaritia instantiùs te vrget, & inquit, surge, si dicas, Non possum surgere, illa illud semper ingeminabit, surge. [*en, rogitas quid agam?*] i. en (inquit Auaritia) interrogas me, quid negotij tractabis, vbi surrexeris? [Respondeo. *en aduehe Ponto saperdam, castoreum, stupas, hebenum, thus, Coa lubrica.*].i. aduehe Romam ad nos ex mari saperdã & alias merces peregrinas. [*primus tolle piper recens è camelo sitiente:*].i. festina tu, & primus omnium alios mercatores præcurre, atque excipe piper nouum, recenter è camelo aductum, quàm primùm in vrbem venerit: [*verte aliquid,*] .i. merces mercibus commuta, [*iura.*] .i. peiera vt diuitias acquiras, quod plerique faciunt mercatores. [*sed Iupiter audiet,*] sed Iupiter (Inquit Dama) me peierantem audiet & puniet; [*eheu! baro, si tendis viuere cum Ioue, perages contentus terebrare digito salinum regustatum.*].i. si vis viuere iustè & sanctè vt Dij præcipiunt (inquit Auaritia) nunquam ditesces, sed vitam inopem viues, contentus propter salis inopiam, digito tuo perforare salinum sæpiùs appositum, atque iterum iterúmque gustatum.

1 *Saperda* est genus piscis Pontici. *Pontus* autem propriè illud mare appellatur, quod à palude Mœotidis vsque in Tenedum protenditur. per quem (*Pontum*) mare ipsum per excellentiam, sicuti per poëtam, Homerum intelligimus.

2 Testiculos Castoris pharmaci genus, *Vel*, Castoris pellem, ex cuius villis Galeri fiunt magni pretij. Anglicè **Beauer hattes.**

3 *Stupa*, linum vile, quod lini cortici est proximum.

4 *Ebenum* est arbor solius Indiæ, vt voluit Virg. ——*sola India nigrum Fert ebenum.* ——*Ebenus* ex omni materiã est spississima, ideò & grauissima iudicatur, sicut Buxus, quarum neutra in aquis fluitat. Quidam Guaiacum, nonnulli Guaiaca-

num

num, plerique verò lignum sanctum Eberii genus esse crediderunt, quod quidem nec asserere, nec negare ausim, inquit Mathiolus. in lib. 1. Dioscorid. 5 Vina dulcia ex insula Co, quæ aluum laxant. Clauerius intelligit vestes Coas, bombicinas, leues & politas, quæ instar vitri translucent. 6 Ne te alij præueniant. 7 Camelus (teste Plinio) quatriduò sitim tolerat. qui potu non gaudet nisi aqua priùs conculcatione turbetur 8 Obserua, quòd in hominibus flagitiosis vis conscientiæ, non ratio honestatis, plerumque à peccando deterreat. 9 Alij legunt *Vare*. i. ò stulte, & à via rectâ distorte. Metaph. à *varis* sumpta, qui pedes habent introrsùm retortos. Alij legunt *Varo*, vel *Baro*, qui stupidum vel ineptum significat. erant autem *Barones* serui militum stultissimi. 10 Terendo perforare salis vasculum, nam cùm parum salis est in fundo salini, & digito illud contrahimus; videmur salinum quasi digito terebrare. poëta significat summam inopiam & victum parcum, cuiusmodi est hominum tenuis fortunæ. 11 Sanctè & secundum præcepta Religionis viuere, quæ peierare & iurare prohibet.

Iam pueris [1] *pellem succinctus, & œnophorum*
aptas;
Ocyus ad nauem, nihil obstat, quin trabe vastâ
[2] *Ægæum rapias, nisi* [3] *solers luxuria ante*
Seductum moneat. Quò deinde insane, ruis?
quo?
Quid tibi vis? [4] *calido sub pectore* [5] *mascula*
bilis
Intumuit, quam non extinxerit [6] *vrna cicutæ.*

O Dama serue infelicissime, tu, vbi Auaritia ex lecto te excusserit

Iam succinctus aptas pueris pellem & œnophorum:] i. iam expeditus & paratus ad nauigandum, seruis tuis accommodas pellem hirsutam, & vini lagenam aliáque ad nauigandum apta: [*ocyus ad nauem.*] i. celeriter ad nauim properas. [*nihil obstat, quin rapias Ægæum trabe vastâ,*] i. nihil te moratur, quin statim intres & raptim percurras Ægæum mare, naue magnâ ex trabibus factâ, [*nisi solers luxuria moneat ante seductum.*] i. nisi luxuria blanda & acuta te antequam nauiges, suis seductum illecebris, moneat, & à proposito remoueat, dicens [*insane, quò ruis? quo?*] i. ò stulte & parùm sane, quò præceps proficisceris?

1 Vestem nauticam ex pellibus factam, frigori arcendo idoneam. *Vel*, manticam hirsutam quâ vestes & alia ad iter necessaria includebantur Anglicè a leathren Cloake-bagge.
2 Mare Ægæum incipit ex orientali parte, ab initio Hellesponti, & vsque ad Peloponnesum versus occidentem terminatur. ponitur hic pro omni mari per Synecdochen.
3 Solertia cauta, artificiosa & diligens ad opportunitatem capiendam.

4 Ergò *calidum* est pectus, quia Ira est ebullitio sanguinis circa cor.
5 Bilis viro digna, & fortis. Ira enim Cos est fortitudinis, vt placet Stoicis. 6 Locutio hyperbolica. *Cicutæ* lethale venenum inest, suâque vi refrigeratoriâ necat. Dioscorid. lib. IIII. cap. LXXIIII. Eam in Hetruriâ si Asini depascantur, profundissimo somno & torpore capiuntur, ita vt non tantùm stupidi sed planè mortui videantur. Id quod aliquando rusticos huius rei ignaros fefellit: nam dum asinis, quos mortuos credebant, pellem ad vsum detraherent, Accidit mirum, quòd in medio ferè operis, asini experrecti sunt, non sine magnu excoriantium terrore, atque ingenti spectantium risu. Dioscorid. ibidem.

[*quid tibi vis ?*] .i. quid quæris tibi ? [*mascula bilis intumuit sub pectore caudo, quam non vrna cicutæ extinxerit.*] .i te, ô Dama, Auaritiæ sollicitatione paratum nauigare, & meâ obiurgatione iam incertum cui pareas, tanta & tam fortis inuasit ira, vt integra cicuta vrna iræ tuæ feruorem extinguere nequeat.

1 Per *Cannabem* tortam, intelligit rudentem vel funem nauticum ex cannabe factum, quo fune anchorario tota nauis sustentatur.
2 *Transtra*, sedilia sunt nautarum in nauibus. Virg. ——*considite transtris*.
3 Vinum tenuissimum, vilissimum, pessimum denique, Veijs in oppido Hetruriæ natum. Horat. Satyr. III. lib. II. de auaro. *Qui Veientanum festis potare diebus Campanâ solitus trullâ, vappámque profestis*.
4 Pice vas vinarium obturante,

Tun' mare *transilias ? tibi tortâ* [1] *cannabe fulto,*
Cœna sit in [2] *transtro ?* [3] *Veientanúmque rubellum*
Exhalet [4] *vapidâ læsum pice sessilis* [5] *obbâ ?*
Quid petis, vt nummi, quos hic [6] *quincunce modesto*
Nutrieras, pergant auidos sudore [7] *deunces ?*
[8] *Indulge Genio,* [9] *carpamus dulcia :* [10] *nostrum est*
Quod viuis ; cinis, & [11] *Manes, & fabula fies.*
Viue memor lethi, [12] *fugit hora. hoc, quod loquor, indè est,*

Verba sunt Luxuriæ ad Damum seruum suum.

Tun' transilias mare ?] .i. túne tam diues mare nauiges, vbi tam multa sunt pericula & incommoda ? [*tibi torta cannabe fulto cœna sit in transtro ?*] .i. nunquid tibi homini tanto cœna sit sordida sedenti in transtro vice mensæ, tibi (inquam) funibus canabinis sustentato ? [*& exhalet sessilis obba rubellum Veientanum læsum pice vapidâ ?*] .i. nunquid sessilis obba tibi

tibi vinum pessimum & fœtidâ pice corruptum, exhalando emittat, quod in naui bibas ? [*quid petis, vt nummi peragant sudore auidos deunces, quos hic nutrieras quincunce modesto ?*] .i. cur desideras vt pecuniæ tuæ quas incremento honesto Romæ auxeras, immoderatum lucrum cum labore & periculo acquirant ? [*Indulge Genio,*] .i. da operam voluptati, [*carpamus dulcia :*] .i. delitijs fruamur : [*nostrum est quod viuis ;*] .i. mihi debes vitam (inquit luxuria) Nam citra voluptatem vita non est vita : [*fies cinis, & Manes, & fabula.*] .i. breui in cineres abibis, vmbra fies, & de te sermo tantùm supererit. [*Viue memor lethi,*] .i. In memoriâ igitur mortem habe, quæ omnium voluptatum tibi finem adferet, [*hora fugit.*] .i. tempus celeriter præterit. [*hoc indè est, quod loquor.*] .i. hæc temporis portiuncula, quam tecum loquendo transigo, iam præterijt, nec potest reuocari.

quæ vaporem & fœtorem vino indat. 5 Vas potorium largius in fundo, atque ob id dicitur *sessile*, quasi sedere potens. 6 *Quincunces vsuræ* sunt, quoties ex centum nummis quinque nummos vsuræ nomine percipimus. Anglicè **Fiue of the Hundred.** quam vsuram poëta appellat *modestam*, quasi Iure ciuili concessam. 7 *Deunx vsura* est, si vndecim nummi pro duodecim reddantur, sic vt vsuro paulò minùs sortem adæquet. Anglicè **Eleuen for Twelue, almost so much as the Principall.** quod genus fœnoris poëta appellat *auidum*, ab effectis. 8 Quid sit *Genio indulgere*, vide principium Satyræ.11. 9 Arripiamus voluptates. Dogma est Epicuri. 10 Nostri muneris est, quòd viuis. Nam vt inquiunt Græci βιος βίου δεόμενος, ουκ ἔστιν βίος. *Vita Vitæ indigens, non est vita.* Cic. *Viuit enim ille, qui animo pacifico & relaxato incumbit voluptati.* 11 Per *Manes*, intelligit animam corpore exutam, de quibus tam multa & philosophi fabulantur & poëtæ. Horat. Ode IIII. lib I. *Iam te premet nox, fabulæque Manes.* 12 Horat. *Dum loquimur fugit inuida ætas.*

En quid agis ? duplici in diuersum scinderis [1] *hamo :*
Huccine, an hunc sequeris ? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos ; alternus [2] *oberres.*
Nec tu, cùm obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi iam vincula, dicas.
Nam [3] *luctata canis nodum arripit : attamen illi*
Cùm fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.

1 Est Metaph. ducta à pisce, quem finge vel à duobus piscatoribus, vel duplici hamo inescari.
2 Nam dubij & incerti errant.
3 Cum fune luctata.

Persius iam sciscitatur Damam, qui se liberum iactitabat.

En quid agis?] .i. ô Dama, quid ad hæc respondes? [*scinderis in diuersum hamo duplici:*] .i. tu quidem in diuersas distraheris sententias, tanquam piscis hamo duplici: [*hunccine, an hunc sequeris?*] .i. ànne hunc dominum Auaritiam sc. sequendum eligis, an hunc, Luxuriam nimirum? [*oportet alternus subeas*] .i. necesse est, vt alternatim, modò huic, modò illi subijciaris [*alternus oberres dominos ancipiti obsequio.*] i. & necesse est, vt duplici & dubio seruitio per vices, circa tuos dominos (Auaritiam & Luxuriam) verseris & quasi oberres. [*nec cùm tu semel obstiteris & negaris parere instanti imperio, dicas, iam rupi vincula.*] .i. nec cùm tu vni eorum (auaritiæ sc. aut luxuriæ) restiteris, & violento eorum imperio obsequi recusaueris, haud tamen possis dicere, rupi iam vincula, & liber sum. [*nam canis luctata arripit nodum, attamen dum fugit, pars longa catenæ trahitur illi à collo.*] .i. nam quamuis canis diu luctando dentibus lorum dissoluit, longa tamen catenæ pars, quâ erat ligata, pendet à collo illius canis quando fugit, vndè facilius à sequentibus rursus capiatur. sic natura semper ad damnatos mores reuertitur.

Daue, citò, hoc credas iubeo, finire dolores
Præteritos meditor: (crudum [1] *Chærestratus vnguem*
[2] *Abrodens ait hæc) an siccis dedecus obstem*
Cognatis? an rem patriam [3] *rumore sinistro*
[4] *Limen ad obscœnum frangam, dum* [5] *Chrysidis vdas*
Ebrius ante fores [6] *extinctâ cum face canto?*
Euge puer, sapias: [7] *Dijs depellentibus agnam*
Percute. Sed censen' plorabit, Daue, relicta?
Nugaris: soleâ, puer, [8] *obiurgabere* [9] *rubrâ,*
Ne trepidare velis, atque arctos [10] *rodere casses.*
Nunc ferus, & violens: at si vocet, haud mora, dicas,

1 Persona Comica, Chrysidis superbæ meretricis amator.

2 *Vngues abrodunt* meditabundi, quasi aliquid agentes, vel vt aliquo supplicio se afficiant, memores contemptus, quo meretrix vsa est.

3 Cum famâ minùs bonâ.

4 In domo meretriciâ. Anglicè a Whore-house.

[11] *Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accer-*
sor, & vltrò
Supplicet, accedam? si totus & integer illinc
Exieris, nunc nunc, hic hic, quem quærimus,
hic est;
Non in [12] *festucâ, lictor quam* [13] *iactat ineptus.*

Persius Chæræstrati exemplo docet libidinem & alias cupiditates (dominas imperiosas) haud facilè seruitium alicui remittere. Dialogismus est inter Chæreſtratum & Dauum seruum suum.

Ordo. *Chæreſtratus abrodens vnguem crudum ait hæc, Daue, iubeo credas hoc, meditor citò finire dolores præteritos:*].i. Chæreſtratus inter meditandum, vnguem ad viuum abrodens, ait hæc verba, Daue, volo vt omninò credas quæ dicturus sum; Ego seriò cogito dolores citò finire quos ex amore meretricio percepi: [*An dedecus obstem siccis cognatis?*] .i. Nunquid ego tanquam dedecus semper obnitar sobrijs meis amicis? [*an frangam rem patriam ad limen obscœnum rumore sinistro, dùm ebrius canto ante vdas fores Chrysidis cum face extinctâ?*] .i. an patrimonium meum minuam cum infamiâ ad limen obscœnæ meretricis, dum ego ebrius ante humidas fores Chrysidis sine aliquo lumine cantillo & fidibus ludo? (Respondet Dauus, herum suum Chæreſtratum laudans. *Euge puer, sapias: Dijs depellentibus agnam percute.*] i. ô præclare puer Chæreſtrate Euge, tu quidem sapiens sis si Chrysida non amplius amaueris, quapropter vt gratum te exhibeas, agnam macta in sacrificium Dijs, qui amoris furorem à te depulerunt. [Loquitur Chæreſtratus. *Sed Daue, censen' plorabit relicta?*] .i. sed heus Daue, putásne quòd ipsa à me relicta plorabit? [Respondet Dauus. *Nugaris: puer obiurgabere soleâ rubrâ, ne velis trepidare, atque rodere casses arctos.*] .i. ô stulte puer, tu denuò nugas agis & vacillas, quapropter punieris, atque à petulanti meretrice cum sandalio sic castigaberis, vt, ne trepidare ausus fueris, neque laqueos rodere quibus irretiris. Anglice, **that thou wilt not dare to quake, nor to breake out of the Snares wherein thou art entangled.** [*nunc ferus, & violens: at si vocet, haud mora, dicas,*]

or Bawdy-house.

5 Nomen Comicum meretricis seruilis & obscœnæ, quam Chæreſtratus amabat. cuius fores poëta appellat *vdas*, fortasse à lachrymis miseri illius amantis; vel *vdas* ab vnguento, quo fores ab amatoribus erant perfusæ; vel *vdas*.i. madidas meretricis sordibus.

6 Ne à transeuntibus agnosceretur.

7 Castor & Pollux dicuntur Dij *depellentes*, quòd nocentia depellant; sed vnicuique Numini conuenit, (vt benè notat Autumnus) illa mali depulsio.

8 Non verbis solùm sed verberibus obiurgabere. Mulieres enim irâ percitæ, vtrumque mirâ celeritate peragunt. Terent. *Illa tibi sandalio commitigabit caput. Vtinam tibi commitigari caput sandalio videam.*

9 Sunt, qui

.i. ô Chæreſtrate, tu nunc indomitus es, & violens ad meretricem deſerendam, verùm ſi illa te ad ſe vocet, ſtatim dices, [*Quidnam igitur faciam? ne nunc accedam, cùm accerſar & vltrò ſupplicet?*] .i. nónne ad eam nunc accedam, cùm ab illâ tam amicè accerſor & non rogata à me mihi ſupplicet? [ô Chæreſtrate, *ſi totus & integer illiuc exieris : nunc, nunc, hic, hic, hic eſt quem quærimus, non in feſtucâ quam lictor ineptus iactat.*] .i. ſi ex domo meretriciâ totus exieris, nullâ tui parte apud illam relictâ : nunc, nunc etiam in hoc temporis articulo verè pronunciare poſſim, Hic, hic, de quo diſputamus, verè liber eſt & ſui iuris, non iſte quem vanus Prætoris miniſter feſtucâ iniectâ liberum pronunciat.

dicunt mulieres amare calceos rubri coloris. Ego verò id aſſerere non audeo.
10 Metaph. ſumpta à feris, quæ laqueis irretitæ, eos mordendo incidunt, vt ſe liberent.
11 Imitatio Horatiana ex Terentij Eunucho deſumpta. Horat. Satyr. III. lib. II. ——— *nec nunc cùm me vocet vltrò, Accedam? &c.*—
12 Vindictâ vel virgâ, quâ Prætor in confirmandâ libertate vtitur, de quâ ſuprà dictum eſt. 13 Quem lictor oſtendit populo in manumiſſione, virgæ tactu, Prætore ita iubente.

Jus habet ille ſui, [1] palpo quem ducit hiantem
[2] Cretata ambitio? Vigila, & [3] cicer ingere largè,
Rixanti populo, noſtra vt [4] Floralia poſſint
[5] Aprici meminiſſe ſenes. [6] quid pulchrius? ——

Pergit Perſius in deſcriptione veræ libertatis, quæ in ambitioſum non cadit.

Habet ille ius ſui, quem hiantem cretata ambitio ducit pa'po?] .i. illé ne ſui poteſtatem habet, quem aperto ore honorum ventos captantem candidata Ambitio vanâ ſpe ludit? [*Vigila, & largè ingere cicer populo rixanti,*] .i. Heus tu (inquit ambitio) vigila, & ad vulgi fauorem captandum, copioſè effunde cicer populo in legendis leguminibus contendenti, [*vt ſenes aprici poſſint meminiſſe noſtra Floralia,*] .i. vt qui nunc ſunt iuuenes, olim futuri apricantes ſenes, noſtra recolant feſta Floralia. [*quid pulchrius?*] i. quid poſſit eſſe honeſtius, quàm eiuſmodi largitionibus populo placere?

1 Illicio, vel illecebris. Metaph. ducta ab accipitre, qui palpo ducitur ac reuocatur, ipſeque inhiat tanquam prædæ *Palpus* à *palpando*. Anglicè a Lure. Vndè *palpator*, metaphoricè Adulator, Anglicè a Claw-back.
2 Honorum competitores albis veſtibus amicti circuibant tribus in Campo Martio, rogabántque vt ſui rationem haberent, candorem animi præ ſe ferentes. 3 *Cicer* pro quouis legumine. Ambitioſi enim ad plebis gratiam

gratiam & suffragia promerendum, solebant fabam, cicer, atque alia munuscula in vulgus spargere. 4 Ludi seu festa ad quartum Calend. Maij celebrata, in honorem FLORÆ meretricis nefandæ, quæ cùm magnas ex arte meretriciâ opes quæsiuisset, populum Romanum scripsit hæredem, certámque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur. Eam posteà Romani finxerunt Deam esse, quæ floribus præsit. 5 Senes sole gaudentes. Nam, senes vbi vigor natiuus deficit, igne & sole foueri lætantur. 6 Est Ironia subtilis. quasi diceret, Quid miserius aut magis seruile?

——— at cùm
[1] Herodis venêre dies, [2] vnctáque fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ
Portantes [3] violas, [4] rubrúmque amplexa catinum
[5] Cauda natat thynni, tumet alba [6] fidelia vino:
[7] Labra moues tacitus, [8] recutitáque sabbata [9] palles.

Probat poëta Damam à Prætore manumissum non esse liberum, quippe cui SVPERSTITIO, domina imperiosa dominatur.

At cùm dies Herodis venêre,] .i. cùm aduenêre Iudæorum Sabbata & natalitius dies Herodis, [*& lucernæ portantes violas dispositæ vnctâ fenestrâ vomuêre pinguem nebulam,*] .i. & cùm lucernæ accensæ, violis coronatæ & in fenestris collocatæ, fuliginem crassam inter ardendum exhalârunt. [*& cauda thynni amplexa rubrum catinum natat, alba fidelia tumet vino:*] .i. &, cùm cauda thynni (piscis vilissimi) vas fictile amplexa natat in iure conditorio, & fidelia coloris albi est vino plena: [*tacitus moues labra, & palles sabbata recutita.*] .i. tunc tu, Romanus cùm sis, instar Iudæi superstitiosi, preces tecum demurmuras, & ob ieiunium Iudaicis sabbatis seruatum, tu quidem famelicus pallorem præ te fers.

1 *Herodes* Antipatris Idumæi filius, Anno decimo Augusti Rex Iudæorum à Româ declaratus est, regnauitque annis XXXVII. Fuit alius *Herodes Antipas* huius filius, qui Ioannem Baptistam occîdit, & DOMINVM NOSTRVM illusum Pilato remisit. Tertius *Herodes* dictus *Agrippa*, Aristoboli filius, Iacobum Apostolum occîdit.
2 Oleo perunctâ, quod ex lucernis exudabat.
3 Coronas ex violis.
4 Rubro colore tinctum. 5 *Cauda thynni*, quia pingui caret insipidior est, & res vilissima. Iudæorum cibus est etiam tempestate nostrâ peculiaris. *Natare* hîc dicitur, quiâ in magnâ patinâ ponebatur. 9 Vas fictile albi coloris. vide suprà. Satyr. III. 7 Precaris cum alto silentio. sic Horat. *Labra moues metuens audiri.* ——— 8 Festa Iudæorum recutitorum, quibus ea cu-

 tis,

ais, quæ glandem colis tegere debet, circumcisa est. Horat. Satyr. v. lib. 1. ---- *credat Iudæus apella* .i. verpus, curtus, recutitus, circumcisus, sine pelle, sine præputio. 9 Iudæi toto die Sabbati vsque ad vesperam ieiunabant, ex quo facti sunt *pallidi*. In Sabbato autem obseruando adeò fuerunt superstitiosi, vt pridie Sabbati Sabbato comedenda pararent.

Tunc nigri [1] *Lemures,* [2] *ouóque pericula rupto,*
Tunc grandes [3] *Galli, & cum sistro* [4] *lusca sacerdos,*
[5] *Incussere Deos inflantes corpora, si non*
Prædictum ter mane caput gustaueris [6] *allI.*
Dixeris hæc inter [7] *varicosos Centuriones,*
Continuò [8] *crassum ridet* [9] *Vulfenius ingens,*
Et centum [10] *Græcos* [11] *curto centusse* [12] *licetur.*

Persius alias Romanorum superstitiones ostendit, quibus detenti non possunt esse liberi.

Tunc nigri Lemures, & pericula rupto ouo, tunc grandes Galli, & lusca sacerdos cum sistro, incussere Deos inflantes corpora, si non gustaueris ter manè caput allI prædictum.] .i. præterea mortuorum animæ, & pericula quæ ouum ruptum portendit, & pingues sacerdotes CYBELES Deûm matris, & lusca sacerdos ISIDIS cum sistro, metum superstitiosum commouerunt Deorum, qui corpora hydrope variisque morbis inflarent, si non gustaueris ter manè caput allij à sacerdotibus tibi propositum. [*dixeris hæc inter varicosos Centuriones, continuò Vulfenius ingens ridet crassum, & licetur centum Græcos curto centusse.*] .i. si inter laboriosos milites dixeris hæc aut similia (quæ hactenus de verâ libertate sunt dicta) statim te tanquam falsa narrantem, ingens Centurio Vulfenius crassò modo irridet, & centum Græcos philosophos, vix centum assibus æstimat & licetur.

1 *Lemures* sunt νυκτιβιοι δαίμονες laruæ nocturnæ, vel vmbræ defunctorum, quos tempore nocturno apparere & domos infestare veteres crediderunt. Anglicè Hob-goblins.
2 Credidit stulta & superstitiosa antiquitas, si rumperetur ouum in cineribus calidis conditum, non sine periculo id futurum ei, pro quo factum fuerat, vel familiæ eius.
3 Cybeles sacerdotes castrati, atque ob id pingues.
4 Isidis sacrificula deformis, altero oculo capta, *cum sistro* .i. cum crepitaculo æneo, cuiusmodi Isis in dextrâ portare dicitur. 5 Ad pœnas lacessere Deos corpora inflaturos, si, &c. 6 *Allij caput* à ieiunis comestum, contra incantationes valere credebatur. 7 Ob laborem varicibus plenos. Sunt autem *Varices* venæ plùs æquo intumescentes, cùm in alijs

corporis partibus tum præcipuè in cruribus. Indè *varicosus*, qui eiusmodi venas habet, qualis fuit *Caius Marius, M. Cicero* & alij complures. Author est Auicenna, *varices* accidere cursoribus, & onera baiulantibus, & diu stantibus. 8 Crassè ridet stultorum more. 9 Nomen proprium à poëta fictum. 10 Omnes ferè philosophi fuerunt Græci. 11 Centum assibus mutilatis, non integris. 12 *Licert*, est pretium deferre in auctione faciendâ, hoc est, in venditione quæ publicè fit, cùm debitores soluendo non sint creditoribus.

SATY-



AD CÆSIVM BASSVM.

ARGVMENTVM.

Poëta inuehitur in auaros, sordidè viuentes, eò nimirùm vt multas diuitias ingratis suis hæredibus accumulent, quas illi malè partas malè dilapident & luxurioſè consumant. Primùm vero Bassum *eximium poëtam lyricum interrogat, vbi locorum degat.*

ADmouit iam bruma [1] *foco te,* [2] *Basse,* [3] *Sabino?*
Iám-ne lyræ & [4] *tetrico viuunt tibi pectine chordæ?*
Mirè opifex [5] *numeris veterum* [6] *primordia vocum,*
Atque [7] *marem strepitum fidis intendisse* [8] *Latinæ,*
Mox iuuenes agitare [9] *iocos &* [10] *pollice honesto*
Egregios [11] *lusisse senes? —*

1 *Focus* pro *igne. At focus a flammis & quòd fouet omnia dictus.* Ouid. VI. Fast.

2 Vno & eodem tempore quatuor fuerunt Bassi. Cæsius Bassus poëta fuit lyricus, de quo scribit Fabius, *solum eum esse ex lyricis, qui cum Horatio legi debeat.*

3 Sabini, populi sunt in quartâ Italiæ regione, non procul à Roma, à religione & deorum cultu quasi *Sebini* cognominati, ἀπὸ τοῦ

Basse, admouit te iam bruma foco Sabino?] .i. ô Basse, iám-ne frigus brumale ad focum Sabinum te compulit? *Mirè artifex intendisse numeris primordia veterum vocum, atque marem strepitum fidis Latinæ, & agitare mox iuuenes iocos, & lusisse egregios senes pollice honesto. Iám ne lyræ & chordæ tibi viuunt pectine tetrico?*] .i. ô Basse, qui mirus es artifex ad intentis chordis canendum veterum vocum primordia, atque etiam mirus ad exprimendum neruorum intentione

fortem

ſortem Latinæ lyræ ſonitum; deindè, qui mirus es artifex ad verſibus agitandum iuueniles amores,& ad depingendum decoro pollice egregia ſenum facta, ecquid iam lyra tibi viuit? ecquid in hoc tuo ſeceſſu hyemali chordæ iam penè intermortuæ tibi reuiuiſcunt tetrico plectro percuſſæ?

ὀνῖθειν.i. *colere*, vel *ſacrificare*. 4 Seuero & graui inſtrumēto,quo chordæ pulſantur. 5 Verſibus, qui numeris conſtant. Perſ. Sat. 1. *Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber.* 6 Antiquas voces, quæ priſcis Italiæ gentibus in vſu fuerunt. 7 Maſculum & heroicum cantum. Subſtantiuum pro Adiectiuo. Sic Horat. in Art. poët. *Tyrtæuſque mares animos in martia bella Verſibus exacuit.*—— 8 In carmine lyrico multi primùm claruêrunt Græci, tandem verò Horatius & Baſſus ad Latinos idem tranſtulerunt. 9 *Et iuuenum curas, & libera vina referre.* Horat. in Art. poët. 10 Quouis digito. 11 Iucundè ſcripſiſſe. *Ludere* pro *ſcribere*. Sic Virg. *Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.*

——— *Mihi nunc* [1] *Ligus ora*
Intepet, hybernátq; meum mare,quà latus ingens
Dant ſcopuli, & multâ litus ſe valle receptat.
[2] Lunaï portum eſt operæ cognoſcere, ciues,
[3] *Cor iubet hoc EnnI, poſtquam deſtertuit eſſe*
[4] *Mæonides* [5] *Quintus,pauone ex* [6] *Pythagoræo.*

Perſius de ſe loquitur. *Nunc Ligus ora intepet mihi,*] .i. hoc frigido hyemis tempore, Liguriæ extremitas mari vicina aërem temperatum mihi reddit, [*meúmque mare hybernat,*] i.& mare Liguſticum,prope quod natus ſum, hyemem agit, [*quà ſcopuli dant ingens latus & litus receptat ſe multâ valle*] .i. vbi ſcopuli excelſi in mare procumbentes latus valdè magnum efficiunt, & vbi litus multis vallibus ſe colligit in receſſum .i. in portum à ventis tutum. [*O ciues, operæ eſt cognoſcere portum Lunaï,*] .i. O ciues Romani, eſt operæ pretium & valdè iucundum portum Lunenſem cognoſcere, [*Cor Ennî iubet hoc, poſtquam deſtertuit eſſe Mæonides Quintus, ex pauone Pythagoræo.*] .i cordatus & ſapiens poëta Quintus Ennius iubet portum Lunenſem cognoſcere, & illo quidem tempore quo non delirauit, ſed à ſomno excitatus,deſijt ſomniare ſe eſſe Homerum.

1 Hic, hæc & hoc Ligus,uris.
2 *Lunaï* pro *Lunæ*. ſic Virg. *aulaï* pro *aulæ*. *Luna* portus eſt in Liguriâ, cùm ciuitas eiuſdem nominis alto monte ſeparata, ſit in Hetruria, ſic dicta à portu, qui in lunæ ſpeciem eſt deflexus. Eſt autem hic verſus Ennij, qui & ipſe huius portus amœnitatem in Annalibus ſuis collaudauit.
3 Diuina mens Ennij. *vel, tricor* Ennius, ſic dictus à tribus linguis Græcà, Oſcâ & Latinâ, quas callebat.
3 Homerus Mæ-

onis filius, qui Ennio in somnis dicebat, ex Pythagoræ sententiâ, se factum aliquando esse pauonem, seu animam suam commigrasse in pauonem, deindè ex pauone in corpus Ennij transijsse. 5 Est Ennij prænomen. 6 Secundùm Pythagoricam μετεμψύχωσιν. vide Ouid Metamorphosin.

Heic ego securus vulgi,& quid præparet Auster
[1] *Infelix pecori: securus, & angulus ille*
Vicini, nostro quia pinguior; etsi adeò omnes
Ditescant orti [2] *peioribus, vsque recusem*
[3] *Curuus ob id minui senio, aut cœnare* [4] *sine vncto,*
Et [5] *signum in vapidâ naso tetigisse lagenâ.*

Heic ego securus vulgi, & quid infelix Auster præparet pecori;] .i. In hoc tractu Lunensi, ego viuo, haud curans vulgi de me opinionem, & parùm sollicitus quid mali ventus Meridionalis pecori infestus inferre portendat; [*& securus, quia angulus ille vicini pinguior nostro:*] .i. & parùm inuidens, quòd fundi vicini angulus sit meo vberior; [*etsi adeò omnes orti peioribus ditescant, vsque recusem curuus minui senio ob id, aut cœnare sine vncto, & tetigisse naso signum in lagenâ vapida.*] .i. & certè, si omnes peioribus nati parentibus me longè sunt ditiores. Ego tamen propter eam causam semper recusem in terram pronus dolore confici, aut cœnare sine cibarijs opiparis & vinum vapidum bibere.

1 Auster noxius & pestilens. Virg. *Arboribúsque satisque Notus pecorique sinister.*
2 Parentibus flagitiosis, vel sortis inferioris.
3 Laboribus incuruatus.
4 Sine cibo pingui & delicato.
5 Tetigisse sigillum, vel annuli signatorij impressionem in eâ parte lagenæ, quâ vinum infunditur & effunditur. Solebant autem veteres, lagenas plenas obsignare, ne à seruis furtim exhaurirentur. Quapropter vt cognoscerent vtrùm lagena à seruis esset reserata; oculos suos sigillo propiùs admouebant, sic, vt lagenam naso tangerent. Fideliam fortasse olfaciebant auari, priusquàm limum deraderent, eò nimirùm, vt sic intelligentes vinum vappescens in eâ contineri, idipsum biberent.

Discrepet his alius: geminos [1] *horoscope varo*
Producis genio: solis [2] *natalibus, est qui*
[3] *Tingat olus siccum* [4] *muriâ* [5] *vafer in calice* [6] *emptâ.*
Ipse [7] *sacrum irrorans patinæ piper. hic bona* [8] *dente*

1 *Horoscopus*, est horæ inspectio, quâ quisque nascitur. Astrologi appellant *Adscendens.*
2 Dies natalis

5 Gran-

Grandia [10] *magnanimus* [11] *peragit puer.* [12] *vtar ego, vtar,*
Nec [13] *rhombos ideò libertis ponere lautus,*
Nec tenuem solers [14] *turdorum nosse* [15] *saliuam.*

Ego quidem (inquit Persius) sic viuo, [*Alius discrepet his* ;] .i. concedo vt alius hisce meis moribus & studijs dissentiat, Nam, [*horoscope producis geminos genio varo.*] .i. O horoscope, tu in lucem producis fratres eâdem horâ natos dissimili inter se ingenio & variâ naturâ. [*Est qui vafer tingat solis natalibus siccum olus muriâ in calice emptâ.*] .i. Est ex ipsis geminis vnus, qui prouidus & cautus ad parsimoniam, solis suis natiuitatis diebus, olus suum aliâs siccum tingat muriâ in paruo vase emptâ: [*ipse irrorans sacrum piper patinæ :*] i. ipse adeò sordidus, vt piper tanquam rem sacram in morem roris patinæ inspergat : [*hic puer magnanimus peragit bona grandia dente.*] .i. alter verò ex geminis adhuc puer & ætatis lubricæ, immensum patrimonium tanquam magnanimus gulâ absumit. [*Ego vtar, vtar, nec ideò lautus ponere rhombos libertis, nec solers nosse saliuam tenuem turdorum.*] i. Ego quidem meis bonis vtar, vtar (inquam) sine abusu, nec tamen ob eam rem, quia auarus nolim esse, ero nimiùm prodigus ad apponendum libertis meis in cœnam pisces pretiosos, nec ero ingeniosus ad dignoscendum subtilem turdorum saporem quem libentiùs ignoro.

apud Romanos celebris erat & festus cuique, quo tamen die auari sordidè & parcè viuerent, cùm alij voluptati maximè indulgere solerent.
3 Leuiter tangat.
4 Salsugine vilissimâ.
5 Frugalis, futuri non incautus.
6 Quam emerat vnciatim à salarijs, cum debuisset habere domi amphoras muriâ plenas.
7 Quasi rem sacram, alijs è familiâ non attingendam, sed conuiuis tantùm admotam. Horat. *—Et tanquam parcere sacris (cogeris.* ——

8 Vorando, potando, 9 A parentibus relicta. 10 Reuerâ malè sanus. Sic Ouid. *Dùmque ea magnanimus Phaëton miratur.* —— 11 Festinat bona deperdere. 11 Liberè sine abusu fruar. 12 Rhombus à figurâ sic appellatus (Anglicè a Turbett) fuit piscis apud Romanos magni pretij. Horat. Sat. 11 lib 11. —— *quid? tum rhombos minùs æquora alebant? Tutus erat rhombus.* —— 13 Turdus inter volatilia habetur delicatissimus. Horat. Lib. I. Epist. x v. *—Cùm sit obeso Nil melius turdo.* — 14 *Saliua* ponitur pro *sapore*, qui in deglutienda saliua sentitur.

Messe tenus propriâ viue, & [1] *granaria (fas est)*
Emole. quid metuas? [2] *occa en seges* [3] *altera in herba est.*
[4] *Ast vocat officium : trabe rupta,* [5] *Brutia saxa*
Prendit

Granarium locus est, in quo grana frugum reponuntur. Est Meton, subiecti,

Prendit amicus inops; rémque omnem, [6] *surdáque vota*
Condidit [7] *Ionio; iacet ipse in litore, & vnà*
Ingentes de puppe [8] *dei; iámque obuia* [9] *mergis*
Costa ratis laceræ. [10] *Nunc &* [11] *de cespite viuo*
Frange aliquid; largire inopi, ne pictus oberret
[12] *Cæruleâ in tabulâ.*——————

Sumptus facito (inquit Persius) pro modo facultatum tuarum. *Viue messe propriâ tenus,*] .i. tantum insume, quantum tua messis tibi annuatim confert, [& *emole granaria (fas est.*] i. & molendo, honestè consume triticum in granarijs tuis repositum, id sanè facere æquum est. [*quid metuas?*] .i. cur times adeò liberalis esse? [*occa, en altera seges est in herba.*].i. glebas ligonibus comminue, ecce altera messis tibi herbescit & in agro resurgit. [*Ast officium vocat:*] .i. sed officij ratio exigit (inquit auarus) vt amicis egentibus opituler: [*trabe ruptâ, amicus inops prendit Brutia saxa;*] .i. naui enim fractâ, calamitosus meus amicus Brutia saxa apprehendit ne submergatur, [*condidit rémque omnem, surdáque vota Ionio.*] .i. & in Ionio mari perdidit non solum omnes suas facultates, sed amisit etiam vota à dijs marinis non exaudita. [*ipse iacet in litore, & vnâ ingentes dei de puppe; iámque costa ratis laceræ obuia mergis.*] .i ipse amicus meus iacet in litore, & simul cum eo potentissimorum deorum simulachra de puppe ablata, iámque pars nauis disruptæ auibus marinis fertur obuia. [& *nunc de cespite viuo frange aliquid; largire inopi, ne pictus oberret in tabulâ cæruleâ.*] .i. & nunc in tantâ calamitate amici ipsum iuua, aliquid ei largiendo, etiam de messe tuâ immaturâ; ne, vt mendicus ab vno ad alium erret, tabulâ cæruleam circumferens, in quâ & ille & illius naufragium depingatur.

2 *Occare* propriè est, quum rustici satione factâ bobus dimissis, grandes glebas occidunt ac ligonibus frangunt. Anglicè **to mack or harrow.** Hic per Metaph. significat *opibus acquisitis vti.*

3 Quasi dicat, si fruges tuas honestè distribuas, ea est dei bonitas, vt prioris anni segete consumptâ, aliam tibi messem Ager cum fœnore reddet continuò.

4 Verba sunt Auari vitium suum virtutis colore pallliantis.

5 Scopulos Brutij maris. sunt enim Brutij, populi in Italia Lucanis contermini.

6 Vota, quæ dij non exaudiunt, elegantèr *surda* appellantur. *surdus* ponitur passiuè Dicimus enim *surdum* qui non audit & qui non auditur. Iuuenal. —— & *surdo verbere cædit.* i. verbere, quod non audit. 7 Mare Ionium, partim Siculum, partim Creticum, expanditur supra fauces maris Adriatici. sic dictum ab Ionio Dirrachij filio, quem imprudenter à se occisum Hercules in mare præcipitauit, vt defuncti memoriam propagaret. 8 Solebant nautæ deorum statuas in naue gestare, sub quorum tutelâ nauis illa fuit. Virg.

Arma

Arma deósque parant comites, —— 9 *Mergus* est auis aquatica, sic dicta, quòd se in aquam cibum captans assiduè immergat. *Anglicè* a Cormorant. 10 Sunt hæc etiam verba Auari seipsum ad munificentiam incitantis. 11 Per *cespitem viuum,* alij intelligunt virentis agelli siue patrimonij portiunculam : alij verò poëtam sic intelligunt, vt messis etiam in herba amici causâ consumatur, Nam, *Extra fortunam est, quicquid donatur amicis, Quas dederis solas semper habebis opes.* 12 Qui maris periculum euaserunt, naufragium suum in tabellâ depictum humeris circumgerebant, vt inspectores misericordiâ commoti, eos stipe donarent. Iuuenal. -- *mersâ naue, naufragus assem Dum rogat, & pictâ se tempestate tuetur. Cærulea* dicitur tabula, ob colorem maris cæruleum.

——sed, cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quòd rem [1] *curtaueris,* [2] *vrnæ*
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama [3] *surdum,*
Seu [4] *ceraso peccent* [5] *casiæ nescire paratus.*
Tú-ne bona [6] *incolumis minuas?* ——

1 *Curtare,* est *imminuere,* vel *mutilare.* Anglicè to curtall. 2 Veteribus in more positum fuit post cadaueris cremationem, cineres multis aromatibus perfusos in vrnâ condere. 3 Odorem obtusum, qui vix sentiatur. 4 Gummi ex ceraso. 5 Casia lignea (non Casia solutiua) frutex est odorem rosarum repræsentans. Nascitur (vt Theophrastus & Plinius inquiunt) iuxta Cinamomi campos. 6 Bonâ fruens valetudine, & nullâ pressus angustiâ.

Aliud est auari argumentum siue obiectio ad parsimoniam suam tuendam.

Sed hæres iratus, negliget cœnam funeris, quòd curtaueris rem,] .i. Sed hæres tuus iratus quòd patrimonium imminueris, epulum funebre omittet, [*dabit ossa inodora vrnæ,*] .i. vrnæ imponet ossa sine odoribus, [*paratus nescire seu cinnama spirent surdum, seu casiæ peccent ceraso.*] .i. scire nihil curans, vtrùm vnguenta ex cinnamo facta odorem emittant surdum, siue casiæ ceraso admixto, sint adulteratæ. [*tú-ne incolumis minuas bona?*] .i. tú-ne (inquit hæres) cùm adhuc saluus sis & incolumis facultates tuas iure hæreditario mihi debitas sic atterere debeas?

—— sed Bestius [1] *vrget*
[2] *Doctores Graios. Ita fit, postquam sapere* [3] *vrbi*
Cum pipere, & [4] *palmis, venit nostrum hoc* [5] *maris expers,*
[6] *Fœnisecæ crasso* [7] *vitiarunt vnguine* [8] *pultes.*

1 Reprehendit & accusat. 2 Philosophos auaritiam & sordes extirpare studentes.

Tertium

3 In vrbem Romanam.
4 Cum Dactylis & alijs mercibus, quæ ad nos sunt aducta in eâdem naui, in quâ venerunt etiam Græci philosophi, Stoici nimirùm. Iuuenal. *Aductus Romam quo pruna* & *cottona vento?*
5 Sapientia domestica & cismarina.

Tertium est auari argumentum ad suam frugalitatem palliandam, desumptum è testimonio Bestij, hominis bestialis & extremè auari, de quo Horatius Ep. XV. *lib.* I. Diceret vtendos correptus Bestius idem.

Sed Bestius vrget doctores Graios.] i. quin & Bestius philosophos Græcos increpat, tanquam iuuentutis Romanæ corruptores, quòd beneficentiam laudarent, dicens, [*Ita fit, postquam hoc nostrum sapere expers maris venit vrbi cum pipere & palmis,*] .i. Ita sunt mores, postquam hæc nostra sapientia Romana, olim nauigij ignara, nobis aducta est è Græciâ in vrbem cum peregrinis mercibus, [*fœnisecæ vitiarunt pultes vnguine crasso.*] .i. viles rustici cibaria sua vncto condimento infecerunt.i. lautè vixerunt.

6 Rustici qui fœnarijs falcibus fœnum in pratis secant. *Angl.* Mowers. 7 Simplices & naturales cibi dicuntur vitiari & corrumpi, cùm aliquid illis additur. 8 *Pultes* pro cibarijs quibuslibet. Species pro genere. *Puls*, victus antiquissimus ex farinâ, melle seu caseo, ouo decocto factus, quo pro pane veteres vtebantur.

1 Vltra mortem & post cineres. Cadauera enim illo tempore comburi solebant.
2 Imperatores post victoriam partam, tabellas laureatas.i. literas lauru coronatas Romam mittere consueuerunt.
3 Postibus templi affigebantur hostium spolia, quæ vetustate consumpta nec resarcire nec reficere licebat Virg. *Captiui pendent currus cur-*

Hæc cinere 1 *vlterior metuas? at tu, meus hæres*
Quisquis eris, paulum à turbâ seductior audi.
O bone num ignoras? missa est a Cæsare 2 *laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam 3 *postibus arma,*
Iam 4 *chlamydes Regum, iam lutea* 5 *gausapa captis,*
6 *Essedáque ingentésque locat* 7 *Cæsonia* 8 *Rhenos,*
9 *Dijs igitur, Genióque ducis centum paria, ob res*
Egregiè gestas, induco.————————

Verba sunt Persii reprehendentis auarum. qui metuit ne ab hærede haud fiant sibi mortuo, quæ alijs mortuis fieri solebant.

Metuas hæc vlterior cinere?] .i. ô sordide auare, tunc

ne post obitum metuas, sc vt honorificè sepeliaris? &c. [*at audi tu, quisquis eris meus hæres, paulum seductior a turbâ.*] .i. heus tu, quicunque meorum bonorum futurus es possessor, audi quæ dicturus sum, paulum remotus à populo, vt liberè tecum agam. [*O bone num ignoras?*] .i. O amice, num te hic nuntius latet, quid-ue ego facturus sum ignoras? [*laurus est missa à Cæsare ob insignem cladem Germanæ pubis, & frigidus cinis excutitur aris;*] .i. Laurus (victoriæ Index) missa est ab Imperatore Caligulâ ad Senatum, ob insignem Germanæ iuuentutis stragem, & cinis vetus ex priori sacrificio illic relictus ab aris remouetur, vt nouæ parentur victimæ; [*ac iam Cæsonia locat arma postibus, iam locat chlamydes regum, iam locat lutea gausapa captis & locat essedi, & ingentes Rhenos:*] .i. Et nunc Cæsonia, vxor impudica Cæsaris, affigit templi postibus captiuorum hostium arma, & regum deuictorum vestes militares, Nunc captiuis in triumphum ducendis gausapa coloris crocei accommodat, atque esseda & proceros Rheni accolas ad futurum triumphum collocat & disponit: [*Induco igitur dijs Genióque Ducis centum paria ob res egregiè gestas.*] .i. Quapropter dijs huius victoriæ authoribus & Imperatoris nostri Genio, Ego Persius ob res tam feliciter gestas centum gladiatorum paria in theatrum inducere constitui.

uacque secures. 4 *Chlamis* propriè vestis erat militaris pallio breuior & multò strictior. 5 *Gausapum* vel *Gausape* militare fuit stramentum, vtrinque villos habens, vel vnâ saltem parte. Nunc ponitur pro panno, quo mensa sternitur, Angl a Carpett. 6 *Esseda* vehicula sunt Gallica apud Belgas primò reperta. Anglicè Coaches or Waggons. Cic. ad Treb. *Essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quamprimum recurras.* Virg. Georg. II. *Belgica vel molli melius feret esseda collo.* Britanni in bello vtebantur eo peculiariter. vide Cæs. lib. IIII de bello Gall 7 Augusta, vxor Caligulæ, mulier lasciuiæ perditæ & effrænatæ libidinis. 8 Germanos staturæ ingentis, propè Rhenum fluuium habitantes. 9 In honorem deorum, vt hanc victoriam Senatui populóque Romano benè vertant, simul & in honorem Caligulæ Imperatoris, qui multos per Genium suum deierare detrectantes multauit interdum capite. Veteres enim per Genium principis iurabant, per quem si quis peierasset, puniebatur. Tertul. *Citiùs per omnes deos, quàm per vnum Genium Cæsaris peieratur.*

——quis vetat? aude.
Væ, nisi [1] *conniues: oleum,* [2] *artocreásque popello*
Largior; an prohibes? dic clarè. Non adeò, inquis.
[3] *Exossatus ager iuxta est. Agè, si mihi nulla*

1 *Conniuere* est oculos genis integere. Hinc *conniuere*, quasi pro *transire* & non *videre* ponitur

Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis [4] *matertera vixit,*
Déque auiâ nihilum superest ; accedo [5] *Bouillas,*
[6] *Cliuûmque ad Virbi ; præsto est mihi* [7] *Mannius hæres*
[8] *Progenies terræ. quære ex me, quis mihi quartus*
Sit pater, haud promptè, dicam tamen, adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ est iam filius, & mihi [*] *ritu*
Mannius hic generis prope maior auunculus exit.

Sunt verba Persii ad hæredem.

Quis vetat?] .i. Quis me prohibet eiusmodi munera gladiatoria instituere ? [*aude,*] .i. tu autem hæres, audeto vetare me, quo minus hoc faciam. [*Væ, nisi conniues.*] .i. Væ tibi nisi dissimules, hæc quæ facturus sum, tibi molesta non esse. [*Largior oleum artocreásque popello ;*] .i. quinetiam plebi epulum largiri volo [*an prohibes? dic clarè.*] .i. quæso te, an illud fieri vetas ? cur mussitas ? loquere apertè. [*inquis, Ager iuxta non est adeò exossatus.*] .i. tu ô hæres sic respondes, Ager tuus prope vrbem ô Persi, quem mihi post mortem es relicturus, non est adeò fertilis, vt profusionem hanc tuam possit sustinere, imò vix tibi est vndè hæc fiat largitio, quapropter non magnoperè cupio tuus esse hæres. [*Agè,*] .i. Agè (inquit Persius) fac quod lubet, [*Si iam nulla manet reliqua mihi ex amitis, si nulla patruelis, nulla proneptis patrui, si matertera vixit sterilis & si nihilum superest de auiâ ;*] .i. Si nullum haberem consanguineum qui mihi hæres velit esse, sc. si nulla ex sororibus patris mei iam superstes est, si nulla filia patrui, nulla filia neptis patrui superuiuit, si mea matertera sine prole mortua est, & de auiâ meâ si nihil reliquum est : non tamen idcircò de hærede sum anxius, [quippe, *accedo ad Bouillas, cliuúmque Virbij : Mannius progenies terræ, præstò est hæres mihi.*] .i. ego viam Appiam peto, & ad Virbij cliuum accedo ; Ibi Mannius aliquis homo obscurus vltrò mihi hæres erit, & à me hæres scribetur. [*quære*

ex

quandoque. Cic. pro Cælio. *Dij immortales, cur interdum conniuetis in hominum sceleribus maximis?* i. cur scelera oculis veluti clausis præteritis & tanquam dissimulanter contuemini ?

2 Cibos ex pane & carne confectos, Angl Flesh-pyes. Huiusmodi enim res conciliandi amoris gratiâ populo donabantur.

3 Terræ ossibus. i. lapidibus expurgatus. Ouid. 1. Met. *lapides in corpore terræ Ossa reor dici. Exossare* propriè significat *ossa detrahere.* Terent in Adelp. *Congrum istum maximum in aquâ sinito ludere paulisper, vbi ego venero, exossabitur.*

4 Soror matris, quasi mater altera, Anglicè an Aunt by the mother side

5 *Bouillæ*, quasi *boum villæ*, oppidum fuit in viâ Appiâ Romæ proximum, Clodij cæde nobilitatum, sic dictum quòd

ex me, quis sit mihi pater quartus, haud promptè, dicam tamen,] .i. & quidni illum quamuis obscurum scriberem hæredem? Nam, si ex me quæras quis abauus mihi sit, illud sane haud promptè tibi dicere possum, dicam tamen, sed difficulter, [*adde etiam vnum, vnum etiam, filius terræ iam est,*] .i. si verò quæras ampliùs & vnum adhuc addas, & vnum insuper. i. si vlterior fiat inquisitio & me interroges de meo atauo & tritauo, quinam illi fuerint : ille verò iam mihi ignobilis & obscurus est, æquè ac Mannius [& *hic Mannius prope exit auunculus mihi ritu generis.*] .i. & sic, ipse hic Mannius (quem dixi terræ filium) cognationis ordine, aui vel auiæ meæ frater ferè euadit.

eò bos vulneratum sua trahens intestina deuenerit.

6 Cliuus siue collis ille Virbij quatuor millibus à Româ distans mendicis vndique refertus erat, sic dictus ab Hyppolito, quòd Virbius fuisset. Nota est fabula. Ad cliuum illum non licebat equum perducere, quia Hyppolitus iuuenis castissimus, quem equi furibundi discerpserant, illic in templo Triuiæ colebatur. 7 Hic Mannius vel lucum Aricinum Dianæ consecrârat, vel templum ei illic condiderat. Hic verò ponitur pro quouis paupere ibidem habitante. 8 Cuius ignorabantur parentes, Iuuenal. *gigantum fraterculus.* 9 Habitâ ratione generis mei, & sic non deerit mihi hæres etiam ex cognatione meâ.

Qui prior es, cur me in [1] *decursu lampada poscis?*

Persius iam perstringit eos, qui cùm maiores sint natu & longâ ætate superiores, ab illo tamen iuniore hæreditatem sperant, atque illius mortem impudentissimè expectant.

Qui prior es, cur poscis me lampada in decursu?] .i. tu, ô hæres meus, qui me senior es & annosior, cur à me adhuc viuo postulas, vt tibi patrimonium meum tanquam lampada tradam? cùm tu potiùs illam posteriori & iuniori porrigere debeas?

1 Metaph. desumpta à palæstris, qui in sacris Promethei lampada quatientes, sic currebant, vt primus defatigatus secundo, secundus tertio, tertius quarto, & ita deinceps facem traderet, posterior autem non porrigebat facem priori. Quæ decursio significabat mortalium successionem & vicem esse perpetuam. Huius consuetudinis meminit Cicero 1 v. ad Herennium. *Non enim quemadmodùm in palæstrâ qui tedas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo, quàm ille qui tradit, propterea quòd defatigatus cursu, integro facē tradit: ita melior Imperator nouus qui accipit exercitum, quàm ille qui decedit, propterea quod defatigatus Cursor dat integro facē.*

Sum tibi [1] *Mercurius ; venio Deus huc ego, vt ille*

1 *Mercurius* præest mercaturis

[2] *Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictis?*
Deest aliquid summæ. [3] *minui mihi; sed tibi totum est,*
Quicquid id est. Vbi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legârat [4] *Tadius, neu* [5] *dicta repone paterna:*
[6] *Fœnoris accedat merces; hinc exime sumptus.*

Persius, in personâ cuiuslibet diuitis, hæredem patrimonium expectantem, sic alloquitur,

Sum Mercurius tibi:] .i. Ego cuius hæreditatem tu captas, sum tibi tanquam lucri deus: [*ego venio Deus huc vt ille pingitur.*] .i. ego in hunc locum vbi sumus, ad te venio talis, qualis ille Mercurius pingitur, & bona mea sine tuo merito tibi gratis offerens. [*an renuis?*] .i. num illa recusas? [*vin' tu gaudere relictis?*] .i. vis-ne tu bonis à me in testamento tibi relictis gaudere, atque illa in bonam partem tanquam lucrum aduentitium accipere? Respondet hæres conquerens hæreditatem esse imminutam [*aliquid deest summæ.*] .i. aliquid ex summâ bonorum tuorum, quæ à patre accepisti diminuitur [*minui mihi, sed totum est tibi,*] .i. ego hæreditatem meam (inquit Persius) in detrimentum meum minui, sed tibi idcirco nullam facio iniuriam, quandoquidem, quod tibi relinquo quicquid id est, tibi totum est & integrum, Nam tibi nihil erat debitum, [*fuge quærere vbi sit, quod Tadius legârat mihi quondam,*] .i. noli ex me rationem exigere, vbi sit illud legatum, quod Tadius olim mihi in testamento reliquerat, [*neu repone dicta paterna:*] .i. neue mihi dicta imperiosa retribue pro hæreditate quam tibi in testamento relinquo, more patris morituri dicentis ad filium luxuriosum; [*Merces fœnoris accedat;*] i. pecuniæ vsus sorti & summæ capitali accrescat, [*hinc exime sumptus.*] i. ex hac mercede vsurariâ fac impensas quotidiè, & summam principalem noli imminuere.

Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc [1] *impensiùs vnge,*
Vnge [2] *puer caules. Mihi festâ luce coquatur*

[3] *Vrtica,*

& lucra adiuuat, Horat. Sat. III. lib. II.—— *an magis excors Reiectâ prædâ, quam præsens Mercurius fert?* vndè Ἑρμαῖον apud Græcos pro *lucro insperato. Mercurius* autem sic dictus est, quasi medius inter homines currens, præcipuè inter vendentes & ementes.

2 Sacculum in manu tenens nummis grauidum.

3 In meos vsus consumpsi.

4 O impudicam hæredis impudentiam & immoderatam habendi cupiditatem, qui de alienis legatis sibi rationem reddi exigit!

5 Dictata, quæ patres auari suis filijs dicere solent.

6 *Fœnus* à *fœtu*. Nihil enim aliud est *fœnus* quàm *fœtus*, hoc est, partus pecuniæ.

1 Maiore impensâ & sumptu.

2 *Puer*, hoc loco significat famu-

³ Vrtica, & fissâ ⁴ fumosum sinciput aure?
Vt tuus iste ⁵ nepos olim satur ⁶ anseris extis,
Cùm ⁷ morosa ⁸ vagâ ⁹ singultiet inguine vena,
¹⁰ Patriciæ immeiat vuluæ (——

Sunt verba Mannij hæreditatem imminutam ægrè ferentis. [*Quid reliquum est?*] .i. Quid mihi hæredi tuo futuro de facultatibus tuis remanet? [*reliquum?*] Persius cum indignatione vltimum Mannij verbum repetit. Negas tu aliquid esse reliquum? faciam profectò, vt dicis, sc. vt nihil sit reliquum [*puer vnge nunc, nunc impensiùs vnge caules.*] .i. ô famule, sine dilatione perfunde caules & olera sumptuosiùs, perfunde (inquam) & obsonia lautiora mihi compara. [*Vrtica coquatur mihi luce festâ & sinciput fumosum aure fissa?*] .i. An mihi sordidè victitanti die festo apponatur in cibum vrtica & capitis porcini pars anterior in fumo suspensa per aurem clauo perforatam? [*vt tuus iste nepos olim satur extis anseris, immeiat vuluæ patriciæ, cùm vena morosa singultiet inguine vago.*] .i. vt iste ex posteris tuis luxuriosus & ganeo iecoribus anserinis aliquando pastus, in vuluam matronæ nobilissimæ semen genitale quasi vrinam eiaculetur, quando virga virilis suâ tentigine submolesta turgescet & libidine quatietur.

lum vel seruum obsonatorem, interdum denotat marem contrario nomine puellæ. Aliquando nomine *pueri* intelligimus ætatem puerilem. ponitur etiam pro *filio*. Virg. *Ascaniúsque puer.*——
3 *Vrticam* depingere opus non est, quæ non modò interdiu sed etiam noctu in tenebris solo tactu ab omnibus facillimè cognoscitur. Ab *vrendo* nomen traxit. Hîc verò ponitur pro quauis herbâ vilissimâ. per Synech. speciei.
4 Horat. Sat. II. lib. II. —— *fumosæ cum pede pernæ.* 5 *Nepos*, præter vulgatam significationem, profusum & perditum hominem signat, quem Græci ἀσώτους nominant. Horat. Sat. VIII. lib. I. *Pantolabro scurræ, Nomentanóque nepoti.* 6 Athen. lib. IX. scribit tanto in pretio fuisse veteribus anseris iecur, vt essent apud eos χηνοβοσκοὶ, i. anserum pastores, qui anseres ita alerent, vt eorum iecur mirificè augeretur. ad quam rem dulcia multum conferunt. Martial. lib. XIII. *Aspice quàm tumeat magno iecur ansere maius: Miratus dices: hoc rogo, creuit vbi?* 7 *Morosa* dicitur mentula, ob eius petulantiam & amaritudinem. *vel, morosa* dicitur, quasi curiosa, nolens rem habere cum plebeiâ, sed patriciâ fœminâ. 8 Inguine errante, quod vnum locum præ tentigine tenere nequit. 9 Obscœna est Metaph. ducta à singultu, qui ex interuallis sæpe repetitur, dum ex ventriculo quæ in proprium corpus impacta sunt, excutere conatur. 10 Rem habere cum fœminâ nobili.

——mihi ¹ trama figuræ
Sit reliqua? ast illi tremat omento ² popa venter?

1 *Trama* propriè significat *stamen*

An ego (inquit Persius) parsimoniâ macrescam, vt hæres meus luxuriosis sumptibus pinguescat? [*trama mihi figuræ sit reliqua?*] .i. Egó-ne sic viuam, vt mihi tanquam hominis figuræ & vmbræ, corpus fame enectum instar tramæ, sit reliquum? [*ast venter popa tremat illi omento?*] .i. sc. vt illi, meo hæredi venter obesus pulpitet pinguedine?

panni, *non subtegmen* vt quidam volunt. Anglicè **the warpe, not the webbe of Cloth**, quod verba Senecæ ad Lucilium perspicuè probant. *Deindè quemadmodùm subtegmen insertum, quod duritiam vtrinque comprimentis tramę remolliat.* Hîc autem ponitur Metaphoricè pro monogrammo, homine macro, pertenui & decolori, *cuius ossa, venæ ac nerui apparent tanquam trama in veste attritá.* **as warpe appeareth in a bare-worne garment.** 2 Venter in popinis pinguefactus. *Popa* propriè significat *victimarium*.i. ministrum qui victimas ad altare ligat & ferit. Hostiarum igitur visceribus se probè curabat, & abdomen tremulum sibi comparabat.

Vende animam lucro, mercare, atque excute [1] *solers*
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
[2] *Cappadocas rigidâ* [3] *pingues* [4] *pauisse* [5] *catastâ.*
Rem duplica. Feci; iam triplex; iam mihi quartò,
Iam decies redit [6] *in rugam. Depinge, vbi sistam,*
Inuentus, [7] *Chrysippe, tui finitor* [8] *acerui.*

Verba sunt Mannij Persium ad lucra immodica stimulantis. *Vende animam lucro.*].i. vt opes mihi hæredi tuo futuro accumules, vende animam & periculis expone vitam famámque tuam, [*mercare, atque solers excute omne latus mundi,*] .i. per fas & nefas mercaturam exerce, atque ad lucrum prudens, omnes mundi regiones perlustra, [*ne alter sit præstantior pauisse Cappadocas pingues catastâ rigidâ.*] .i. ne quis mangonum fiat mancipijs te locupletior. [*Rem duplica.*] .i. Diuitias tuas gemina negotiando. Respondet Persius in personâ auari, atque ostendit non solùm quàm inexplebilis sit auaritiæ sitis, vt neque duplici, triplici, quadruplici, imò ne decuplo diuitiarum augmento sit contenta: verùm etiam Satyram concludens, ad Chrysippum facit Apostrophen, illum rogans, vt quemadmodùm ille Argumentationi aceruali finem inuenit: sic etiam quærendarum opum modum præscriberet, priusquàm in immensum cre-

1 *Solers*, quasi *solus* in arte, quique in omnibus rebus prudens est.
2 Seruos ex Cappadociâ, vndè multi venales Romam adducebantur. *Cappadoces* enim barbari seruique sunt, naturâ, vel lege, seruiuntque suo Regi, vt serui domino. Cic in Orat. ad Senatum, post reditum. *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.*
3 Quos, veluti caballos alebant mangones, vt essent pinguiores & magis succulenti.
4 Ad pascendum.
5 *Catasta*, locus

scat

ſcat. [*Feci ; iam triplex ; iam mihi quartò, iam decies redit in rugam.*] .i. ego (inquit Perſius) pecunias meas & patrimonium duplicaui, triplicaui, quartò & decies multiplicaui. [*Chryſippe, inuentus finitor tui acerui, depinge vbi ſiſtam.*] .i. ô Chryſippe qui inuentus es finitor tuæ Soritis, perſcribe quæſo, vbi vel in quo diuitiarum loco pedem figam & acquieſcam.

erat rigidus & robuſtus, vbi venales ſerui pedibus gypſatis exponebantur, ſimul & nudabantur, vt emptores eos conſpicerent, ne quid morbi aut vitij lateret. Tibullus. *Nota loquor, regnum ipſe tenet, quem ſæpè coegit Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.* 6 Quaſi in plicam .i. decies multiplicatur. 7 *Chryſippus* Cleanthis diſcipulus, ita claruit in dialecticis, vt plerique exiſtimârint, ſi apud deos locus eſſet Dialecticæ, non aliam Dialecticam futuram quàm Chryſippeam. Extat & de eo hic Senarius apud Laertium, Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά. *niſi enim eſſet Chryſippus, non eſſet porticus.* 8 Hic *aceruus* eſt Sorites .i. acerualis Argumentatio à Chryſippo inuenta, valdè captioſa & fallax, ex Amphiboliâ, Compoſitione, Diuiſione aliiſque Elenchis, vt ſi quis dicat. *Dico me mentiri & mentior, Verum igitur dico & non mentior. Sorites* autem captioſum eſt & multiplex argumentandi genus, cùm aliquid minutatim & gradatim additur ei, quod ab aduerſario conceſſum eſt, vel detrahitur, in quo ex vno conceſſo ad multas concluſiones connexas adſurgitur ; quale eſt illud Horatij Epiſt. 1. lib. 11. *Dum cadit eluſus ratione ruentis acerui, &c.* Huius Syllogiſmi infinitis quæſtionibus quomodo ſit reſpondendum, & in quâ quæſtione acquieſcendum, docuit Chryſippus.

FINIS.

LAVS TIBI CHRISTE.

Pisano N. 192




The Marquis of Stafford



*242. London, 1614. Ed. Bond.

Auli Persii Flacci* Satyræ sex, Cum poſthumis commentarijs, Ioannis Bond. Londini, Excudebat Felix Kingstonius impenſis Gulielmi Aſpley, & Nathanielis Butlerij. 1614. 12°. ff. (6) + pp. 135. *M, BM.*

The first edition of these short notes, frequently reprinted. They were prepared for the press by Bond's son-in-law, Roger Prowse.



19777

AVLI PERSII FLACCI SATYRÆ SEX.

Cum posthumis Commentarijs,
IOANNIS BOND.



LONDINI,
Excudebat *Felix Kingstonius* impensis *Gulielmi Aspley*, & *Nathanielis Butterij*.
1614.

pro *bello*. Ouid. *Occidit exemplum iuuenis memorabile morum, Maximus ille armis, maximus ille togâ.* 2 Metaph. ducta à marmorarijs, quorum commissuræ ficuti oculos & digitos penè fallunt: sic in Satyrâ Persianâ, omnia benè composita & iuncturâ vix visibili annexa comperies. 3 Superflua amputas, vt fabri ferrarij, qui ferrum limâ atterunt. 4 Est Metonymia effecti. Nam mores vitiosi faciunt hominem pallescere. Et veluti Rubor est verecundiæ color, sic pallor malæ mentis malique animi est indicium. 5 Satyrâ libero homine dignâ, non rustico aut petulanti.

Sequeris verba togæ,] .i. satyram scribis & verba pacis tempori conuenientia, [*callidus acri iuncturâ, teris ore modico,*] .i. & tu, cùm sis acutus & sapiens teris atque expolis illa verba satyrica concinnâ versuum compositione & stilo temperato, [*doctus radere mores pallentes,*] .i. peritus insectari vitia, quorum conscientiâ & reatu homines stimulati, efficiuntur pallidi, [*& defigere culpam ludo ingenuo.*] .i. & peritus es crimen notare & transfodere per iocum liberalem.

1 Mycenæ, vrbs fuit Peloponnesi à Perseo Danaës filio extructa, in quâ regiunculâ (a *Mycenâ* nymphâ sic appellatâ) regnauit Agamemnon. 2 Res plebeias & ad vitam communem spectantes. i. Satyras nôris.

Hinc trahe quæ dicas; mensámque relinque [1] *Mycenis*
Cum capite, & pedibus, [2] *plebeiáque prandia nôris.*

Si scripturus aliquid es, ô Persi, inquit Cornutus.

Hinc trahe quæ dicas;] .i. ex ioco liberali & sermone populari depromе scribendi argumentum; [*& relinque Mycenis mensam cum capite, & pedibus,*] .i. & tragœdias omitte, qualis fuit illa Mycenis gesta, vbi Atreus caput & pedes Plisthenis, patri suo Thyesti in cœnam apposuit, [*& nôris prandia plebeia.*] .i. & fac noscas carpásque satyricè prandiorum plebeiorum luxus .i. materias humiles & plebeias tracta, non regales, non altiloquas.

1 *Bullata* dicuntur verba ventosa, in quibus nihil est solidioris sententiæ. Metaph. sumpta ab aquarum bullis, quæ repentè apparent & repentè euanescunt, cuiusmo-

Non equidem hoc studeo, [1] *bullatis vt mihi nugis,*
[2] *Pagina turgescat,* [3] *dare pondus idonea fumo.*
[4] *Secreti loquimur: tibi nunc hortante* [5] *Camœnâ*
Excutienda damus præcordia; quantáque nostræ
Pars tua sit [6] *Cornute* [7] *animæ, tibi dulcis amice,*

Osten-

Ostendisse iuuat: [8] *pulsa, dignoscere cautus,*
[9] *Quid solidum crepet, & pictæ* [10] *tectoria*
[11] *linguæ.*

Persius poëta noster respondet ad Cornuti obiectionem.

Equidem non hoc studeo, vt pagina turgescat mihi nugis bullatis,] .i. mi præceptor Cornute, non equidem hoc molior, nec mei est propositi, vt liber meus nugacibus poëtarum figmentis à me impleatur & intumescat, [*idonea dare pondus fumo.*] .i. atque vt liber meus sit dignus poëtarum nugis dignitatem addere. [*secreti loquimur:*] .i. ô Cornute, tu & ego loquimur inter nos & sine arbitris, non ad ostentationem & iactantiam: [*damus tibi nunc præcordia excutienda, Camœna hortante;*] .i. ego tibi nunc exhibeo cordis mei latebras tibi inspiciendas, Musâ meâ id exhortante; [*& ô Cornute dulcis amice, iuuat ostendisse, quanta pars sit tua animæ nostræ:*] .i. ô amicorum dulcissime, me certè delectat, tibi versibus demonstrare, quantam partem habeas animæ nostræ: [*pulsa,*] .i. tu, ollas ementium more, experire me, quasi fideliam recèns coctam percutiendo, [*cautus dignoscere, quid crepet solidum, & tectoria linguæ pictæ.*] i. tu, inquam, me explora, qui peritus es ad dignoscendum & distinguendum quid sonet solidè & qui satis doctus es ad discernendum linguæ adulatricis fucos & prætextus.

di sunt verba in modum vesicarum tumentia.
2 Carmen meum, vel liber meus.
3 Rei leuissimæ, cuius pondus non sit maius quàm fumi pondus, authoritatem aliquam addere. sic Horat. ——*& nugis addere pondus.* Lactantius. *Qui autem docent tantùm, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus.*
4 A vulgi conspectu remoti. i. non scribo vt fallaces populi fauores aucuper.
5 Sacrum est hoc Musarum nomen, quæ dicuntur *Camœnæ*, quasi canentes amœnè.
6 *Cornutus* fuit florentissimus sapientiæ professor, Persij magister, quem NERO misit in exilium anno quarto post mortem Persij. 7 Suauiter hoc dictum est, secundùm illam amicitiæ definitionẽ. φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Horat. Ode III. lib. I. *Et serues animæ dimidiũ meæ.* 8 Est allegoria sumpta ab emptoribus fictilium, qui pulsando explorant, vtrùm vasa sint rimosa, an solida & integra. Id enim ex sono quem emittunt facilè dignoscitur. 9 Quid emittat bonum an malum sonum. i. qui cautus es ac iudicij exacti, vt scias, quid in me solidi aut minus apti existat. 10 *Tectorium*, propriè est quoddam illinimentum siue parietis incrustatio, quod fit, cum calce aut cum gypso, ad maiorem spectantium gratiam & decorem. Hîc autem *tectoria* signant fucatos verborum colores, quàndo aliud corde tegitur, aliud linguâ ostenditur. 11 Loquentiæ fallacis.

Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Vt, quantum [1] *mihi te* [2] *sinuoso in pectore fixi,*

1 In animo & memoriâ meâ.

[3] *Voce*

2 Quod multos habet recessus & largum sinum ad te capiendum.
3 Stili vbertate & eloquij facilitate.
4 Expromam, educam. Metaph. à nentibus sumpta.
5 Opertum amorem recludant. *Resignare*, propriè valet *aperire* & *reuelare*, est enim contrarium suo simplici *signare*, quod est annulo signum imprimere. Antiqui *resignare* pro *rescribere* dicebant, sicut *subsignare* pro *subscribere*. Significat etiam *restituere*. Horat. Ode XXIX. lib. III. de Fortunâ. *Laudo manentem, si celeres quatit Pennas, resigno, quæ dedit.* —— Aliter Virg. lib. IV. Æneid. —— *& lumina morte resignat* .i. claudit. 6 *Fibræ* (vt antè notauimus) significant cuiuscunque visceris partes extremas, sed cordis sunt propriæ. Ouid. *Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras.*

3 Voce 4 trabam purâ : totúmque hoc verba
5 resignent,
Quod latet arcanâ non enarrabile 6 fibrâ.

Hîc vt traham voce purâ, quantum fixi te mihi in pectore sinuoso, atque vt verba resignent hoc totum quod latet fibrâ arcanâ non enarrabile, ego ausim deposcere voces centenas.] .i. hanc ob causam, vt oratione sincerâ eloquar, quàm firmiter te collocauerim in multiplicibus cordis mei latebris, atque vt verba mea aperiant omne illud quod reconditum est in pectore intimo, quod certè nullis verbis potest enarrari : hanc (inquam) ob causam ô Cornute, Ego Persius mille voces mihi exoptare audeam.

1 Quod alij prætextati ludis & voluptatibus tribuebant, id Persius tanquam ciuilis adolescens virtutis custodiæ assignat.
2 Prætexta toga, sic dicta, quòd ei purpura prætexebatur. Hæc, vnâ cum bullâ in vsum puerorum nobilium vsurpabatur, donec XVI. annos prætererant. quâ prætextâ tum depositâ, togam vi-

Cùm primùm pauido 1 custos mihi 2 purpura
3 cessit,
4 Bulláque succinctis 5 laribus donata pependit:
Cùm blandi comites, totáque impunè 6 Suburrâ
Permisit sparsisse oculos iam candidus 7 vmbo:
Cúmque 8 iter ambiguum est, & 9 vitæ nescius
error
Diducit trepidas ramosa in 10 compita menteis,
Me tibi supposui : teneros tu suscipis annos
11 Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere 12 solers
Apposita 13 intortos ostendit regula mores,
Et 14 premitur ratione animus, vincique laborat,
15 Artificémque tuo ducit sub pollice vultum.

Causas

Causas iam enumerat Persius, cur tanto amore Cornutum præceptorem suum prosequatur. Inprimis verò se deuinctum ei profitetur, propter diligentem ad virtutem & disciplinam institutionem.

Supposui me tibi, cùm primùm purpura custos cessit mihi pauido,] .i. Ego me tibi erudiendum tradidi, vbi circa ætatis annum decimum sextum, prætexta vestis purpurea, pudicitiæ meæ custos deposita est à me, qui timidus eram sub pædagogi imperio, [*& cùm bulla donata laribus succinctis pependit :*] .i. quando bulla aurea à me suspensa est & donata dijs domesticis vestes succinctas habentibus : [*cùm comites blandi,*] .i. cùm mihi essent blandi monitores, qui ne præcipere quidem auderent, [*& cùm iam vmbo candidus permisit sparsisse oculos impunè Suburrâ totâ :*] .i. cùm iam clypeus candidus mihi permitteret impunè vagari, & oculos meos in meretricum diuersoria conijcere : [*& cùm iter est ambiguum, & error nescius viæ deducit mentes trepidas in compita ramosa ;*] .i. cùm illâ ætate incertum esset, quale genus vitæ ingrederer, & cùm iuuenilis error & viæ & vitæ humanæ ignarus, deduceret mentem meam teneram in varias & incertas deliberationes : [*tu Cornute, suscipis annos teneros sinu Socratico.*] .i. ibi tu ô Cornute, tanquam mater in sinu, me in teneris annis sanctissimâ educatione suscipis, & morali philosophiâ erudis. [*tunc regula solers apposita ostendit fallere mores intortos,*] i. tum cùm me suscepisti, regula tua solers & accurata viuendi norma humanæ vitæ adhibita, demonstrauit mihi, quòd mores mali & intorti fallant homines & in perniciem pertrahant, [*& animus premitur ratione, laboratque vinci,*] i. & tunc appetitus meus rationis imperio subiugabatur, contendebatque vt à ratione superetur, [*& ducit vultum artificem sub pollice tuo.*] i. & animus meus tunc rudis, formam per te tanquam manu artificis laboratam adsumpsit.

rilem induebant, quasi vita viriliter non pueriliter posteà esset peragenda.
3 Locum dedit togæ virili.
4 *Bulla aurea*, nobilium puerorum Index, in cordis figuram erat formata, collo ad læuum pectus dependens, vt eam inspicientes, se homines esse cogitarent, si animo saperent. Hanc bullam, cùm prætextam exuerent, Laribus familiaribus consecratam suspendebant, quemadmodum puellæ renunciantes virginitati, puppas Veneri donabant. Pers. Satyr. II. *Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.* Hinc liquidò apparet Persium poëtam nostrum claris parentibus ortum fuisse ; quapropter hoc opus confecit non rerum penuriâ aut mendicitate coactus, vt quidam coniectant ex Prologo. 5 *Lares*, erant Dij domestici à matre Larâ, Nymphâ quam Mercurius compressit. Isti in Larario, sacrario domestico adorabantur. Scribit Lampridius Alexandrum seuerum in Larario rem diuinam horis matutinis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat *Apollonium, Orpheum, Abrahamum, & Christum.* Lares *succinctos* Persius dixit, quia pellibus caninis induti erant & succincti, tum vt more canum

memi-

meminerint fures arcere, tum etiam vt sint conformes *succinctis*. i. viris militaribus, qui quò essent expeditiores, se cingebant. Cingebantur enim in militiam ituri, ex quo *cingulum militare* & *cingi* pro eo, quod est ad pugnam ornari. 6 *Suburra*, vicus fuit Romæ celebratissimus, viæ sacræ proximus, sic dictus quòd fuerit sub antiquâ vrbe. Ibi erant meretricum diuersoria, quò licebat tyrones descendere, potiùs quàm alienas permolere vxores. Hinc meretrices à poetis dicuntur *Suburranæ*. 7 *Vmbo*, est media pars clypei, hic autem ponitur pro toto clypeo, quem tyrones viri illi nouelli gerebant non ampliùs sub pædagogis victuri, quia militare poterant. *Albus* verò clypeus nouis militibus dabatur, eò nimirum, vt postea res gestæ & egregia eorum facinora in scuto albo depingerentur. Per *candidum* igitur *vmbonem*, Persius se veluti Tyronem ostendit, qui nuper excesserat ex ephebis. Sunt qui exponunt *Vmbonem* Togam virilem, siue album amictum. 8 Ineunti adolescentiæ nihil est difficilius, quàm, quos & quales esse velimus deliberare, quod consilij imbecilitate accidere docet Cicero. 1. Offic. 9 Vitæ optandæ & eligendæ. 10 Appellantur *Compita*, vel ab eo quòd multæ viæ in vnum confluebant: vel à compotando, quòd rustici in Compitis sacrificare solebant. quòd *Ramosa* appellat, fortasse alludit ad literam Pythagoræ Y. Biuium enim anceps est & dubium. 11 Contubernio, & philosophiâ morali, quàm Socrates primus omnium inuenit. 12 Regula tua recta & in omni re prudens abs te mihi tradita & apposita, *solers fallere*. i. callens artem fallendi, non dolo malo sed bonâ fraude, sic, vt Cornuti solertia, tanquam aliud agendo, Persium pellexerit vt rectâ viâ incederet. 13 Mores valdè curuos & prauos. Præpositio (*In*) hoc loco auget, cùm alibi sæpiùs minuit, ex quo Præpositio priuatiua nuncupatur. 14 Coërcetur & regitur à ratione. 15 Formam viuendi artificiosam & philosophicè institutam ducit & adsumit sub tuâ disciplinâ. Metaph. ducta ab ijs qui ex cerâ formant imagines.

Tecum etenim longos memini consumere [1] *soles,*
Et tecum [2] *primas epulis decerpere noctes.*
[3] *Vnum opus, & requiem pariter disponimus ambo*
Atque [4] *verecundâ laxamus seria mensâ.*

1 *Soles* pro *diebus*. Causa pro effectis. Sic Virg. in Bucol. *Cantando longos memini me condere soles.*
2 Epulas in primâ parte noctis.
3 Simul laborauimus, simul requieuimus.
4 *Verecundis* sermonibus in mensâ, vbi quemuis

Persius alia Cornuti in se beneficia commemorat.

Etenim memini consumere tecum soles longos, & decerpere tecum primas noctes epulis.] .i. Quinetiam memini, quòd tecum integros dies colloquijs consumpserim, quódque primas noctis horas cœnâ & epulis tecum carpserim. [*disponimus ambo pariter vnum opus & requiem,*

requiem,].i. vnum opus studiorum & vnam laborum relaxationem ordinauimus,[*atque laxamus seria mensâ verecundâ.*] .i. atque in mensâ res graues honestis iocis temperamus.

se modestè gerere oportet, ne inter conuiuas DEVM & castas aures alicuius offendat, aut plùs iusto adbibisse credatur.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere [1] certo
Consentire dies, [2] & ab vno sydere duci:
Nostra vel æquali suspendit tempora [3] librâ
[4] Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora,
Diuidit in [5] Geminos concordia fata duorum;
[6] Saturnúmque grauem nostro Ioue frangimus vnâ.
Nescio quod, certè est quod me tibi temperat, astrum.

Affirmat Persius tam mutuam animorum coniunctionem non potuisse inter eos prouenire, nisi ex fatali quodam syderum influxu & dispositione.

Equidem non dubites hoc, dies amborum consentire certo sydere, & duci ab vno sydere,] .i. non ego equidem hoc dubitem, neque tu, QVI ES ALTER EGO, hoc possis dubitare, natales dies vtriusque nostrûm concordare certâ lege naturæ, & ab vnâ constellatione deduci: [*vel Parca tenax veri suspendit tempora nostra librâ æquali:*] .i. vel fatum immutabile, quod mentiri non potest, dispensat & æquâ libratione trutinat nostræ natiuitatis tempora: [*seu hora nata fidelibus diuidit fata duorum in Geminos;*] .i. siue hora natiuitatis, quæ mihi ac tibi fidelibus amicis est exorta, æqualiter distribuit in Geminos, tua & mea fata inter se congruentia; [*& frangimus vnâ Saturnum grauem Ioue nostro.*] .i. siue nos Saturni malignitatem Iouis benignitate pariter mitigamus. [*nescio, quod astrum temperat me tibi, quod certè est.*] .i. nescio, quod astrum me tibi coniungit, sed tamen hoc scio, quod ex fatali astrorum influentiâ, hæc nostra animorum sit coniunctio.

1 *Certo* stellarum fœdere & coniunctione gubernari.

2 Siue sub Librâ, siue sub Geminis, siue sub alio quouis sydere horoscopum nostræ natiuitatis habuerimus.

3 *Libra*, propriè est instrumentum quo res ponderantur cum lancibus. Est & *Libra* signum cœleste, per quod octauo Calendas Octobris, seu, vt quidam existimant, decimo tertio, sol transiens, facit Æquinoctialem. Virg. *Libra die somnique pares vbi fecerit horas.*

4 *Parca* pro *fato* ponitur. Tres Parcæ sunt numero, quas Noctis filias facit Hesiodus in Theog. Earum autem nomina sunt è re ficta. *Clotho*, quia rei

humanas orditur & connectit, *Lachesis*, cuius operâ suam quisque sortitur fortunam, *Atropos*, propterea quòd, necessitas illa fatalis nullo modo flecti aut immutari possit. Vndè illud Senecæ, *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* 5 Sub quo benigno & salutari sydere qui nati sunt, quamuis diuersis id fiat temporibus, mirâ inter se degunt concordiâ, & similia consectantur studia. Astrologorum est sententia. *Geminos* pro *Gemellis*. Horat. Epist. x. lib. 1. —— *ad cætera penè gemelli.* 6 Fingunt poëtæ *Saturnum* esse Deum, sic dictum (vt autumat Cicero) à *saturando*, quòd annis saturetur, *vel*, vt alij volunt, quia in deuorandis filijs se *saturauit*. Scribunt Astrologi astrum esse maleficum & perniciosum. vndè poëta. *Et graue Saturni sydus in omne caput.* Si quid erat (inquit Persius) quod Saturni malignitate in nostrâ geniturâ possit animos nostros diuidere, id totum Iouis clementiâ frangitur, quod benignum Astrum nos in Horoscopo positum habemus. Est *Saturnus* sydus graue & triste omnia deterens. Quibus verò præest, sunt stupidi, melancholici & infidi. vndè poëta. *Et graue Saturni sydus in omne caput.*

MILLE HOMINVM SPECIES,
& rerum [1] discolor vsus;
VELLE suum cuiq; est, nec voto [2] viuitur vno.
Mersibus hic [3] Italis mutat [4] sub sole recenti
[5] Rugosum piper, & [6] pallentis grana cumini:
Hic satur, [7] irriguo mauult [8] turgescere somno:
Hic [9] campo indulget; hunc alea [10] decoquit: ille
In Venerem est [11] putris.

1 *Discolor* & *decolor* inter se differunt. Nam *discolor* significat quod colore est diuerso & dissimili, *decolor*, quod colore est vitiato vel sine colore.

2 Terent. QVOT *capita, tot sententiæ. Suus cuique mos est.* De nostrâ voluntate sic scribit Paulinus vir sanctus & elegans ad Iouium, vt benè notat Clauerius. —— *Ne pergas tradere fatis Arbitrium nostrum.* Hierocles sic, *Arbitrium nostrum secum prouidentiam adducit, & prouidentia voluntatis libertatem.*

Persius, vt meliùs illustret ipsius Cornuti concordem & parem amicitiam, docet quàm varia sint aliorum studia & ingenia, vndè aptè quidem descendit ad Satyræ materiam, quod alij alijs studijs detineantur; finem verò rectè viuendi sibi non proponunt cum Cornuto, qui veræ philosophiæ studio totus incumbit, & iuuentutem præceptis institutisque philosophiæ diligenter informat.

MILLE hominum species, & discolor vsus rerum;] .i. vt infinitæ sunt hominum figuræ, sic actiones rerum humanarum sunt variæ & diuersæ; [*VELLE suum est cuique,*] .i. propria voluntas vnicuique hominum inest, [*nec viuitur voto vno.*] .i. nec omnes vnum & idem optant. [*Hic mutat piper rugosum, & grana cymini pallentis mercibus Italis sub sole recenti:*] .i. aliquis

aliquis pecuniam & opes congerere ſtudens, ſole recèns orto, merces mercibus commutat, ſc. piper rugoſum, & grana cymini pallentis mercibus Italicis: [*hic ſatur, mauult turgeſcere ſomno irriguo:*] .i. alius negligens & deſidioſus vbi vino & epulis ſatur eſt & plenus, pingue fieri mauult ſomno cerebrum irrigante, quàm diuitias accumulare: [*hic indulget campo*;] .i. alius vacat luſibus, quibus iuuenes in Campo Martio trans Tyberim ſe exercebant; [*alea decoquit hunc:*] .i. hunc aleæ luſus inopem reddit & conſumit: [*ille eſt putris in Venerem.*] .i. alius eſt rei venereæ ita deditus, vt eneruetur & infami corporis libidine quaſi putreſcat.

verbum *Velle*; ponitur pro Nomine. Vt ſuperiùs Sat. I. —— *noſtrum illud viuere rectè.* 3 Mercibus ex Italiâ aduectis. 4 In Indiâ Orientali. 5 Mathiolus in Dioſcoridem lib. II. Cap. CLIII. ſcribit, Piper menſe Octobri per maturitatem decerpi, & ſub feruenti ſole tegetibus palmeis expanſum torrere, quouſque nigreſcat & rugoſum euadat, quod tridui ſpatio plerunque fit. 6 Cyminum (inquit Dioſcorides lib. III. Cap. LXVIII.) colorem bibentium aut perunctorum mutat in pallorem. Horat. Epiſt. lib. I. Cuminum *exangue* appellat, quia pallidum reddit, i. veluti exanguem. *Quod ſi pallerent, biberent exangue cyminum.* Vſque adeò hoc verum eſt, vt ſi qua mulier purpureum colorem faciei ceruſſâ aut alio aliquo fuco appinxerit, granis cymini manſis, ruborem illum continuò amittat & natiuum pallorem recipiat. 7 *Irriguus* dicitur ſomnus, quòd cerebrum inſtar riui campos præterlabentis, potus & vini exhalationibus irrigat. Virg. —— *feſſos ſopor irrigat artus.* Alij accipiunt pro ſomno leuiter obrepente. 8 Non ſolùm homines, ſed etiam animalia ſomno, otio & cibo pingueſcunt. vndè glis ſic loquitur. ——— *& pinguior illo Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.* Poëta fortaſſe reſpicit ad cutis ipſius torpedinem, quæ ex nimio ſopore prouenit. 9 Ludis in *Campo Martio* iuxta Tyberim, in quo iuuenes poſt exercitia natarent. 10 *Decoquere*, eſt *coquendo minuere*. vnde per Metaph. qui facultates ſuas vehementer minuunt vt fidem fallant, ſiue id ſuo, ſiue fortunæ vitio contingat, *Decoctores* dicuntur, quod ſæpè euenit aleatoribus. 11 Conſumptus in libidines & coitum. Horat. Ode XXXVI. lib. I. *Omnes in Damalim putres Deponent oculos.* ———

——————— ſed cùm lapidoſa [1] *chiragra*
Fregerit articulos veteris [2] *ramalia fagi,*
Tum [3] *craſſos tranſiſſe dies lucémque* [4] *paluſtrem,*
Et ſibi iam [5] *ſeri* [6] *vitam ingemuère relictam.*

Sed hos pleroſque (inquit Perſius) *qui vitam ſuam in iuuentute*

1 *Chiragra*, (qui morbus eſt in manuum carpo, digitorúm-ue articulis) tum tophi lapidiſue quaſi naturam induit, cùm humor illapſus craſſeſcit tem-

pore, & virtute caloris circumstantis, aut vi medicamentorum indurescit. *lapidosa* igitur, quia vt lapis, condensatur, & tumet veluti sardonix. Horat. Satyr. VII. lib. II. — —*postquam illi iusta chiragra Contudit articulos.*

uentute tam flagitiosè transegerunt, tum demum seriò sed sero pœnitet.

Cùm chiragra lapidosa fregerit articulos, ramalia veteris fagi,] .i. postquam chiragra nodosa senilis corporis iuncturas & membra, tanquam fagi annosæ ramalia contuderit, [*tum ingemuêre dies crassos, lucémque palustrem transisse,*] .i. tum deplorant dies vitæ suæ obscuros lucémque vitæ caliginosam præterijsse, [*& seri ingemuêre vitam relictam sibi.*] .i. & tardè nimisque serò, quod superest vitæ, defleuêrunt.

2 Appositio. Articuli in calamitosâ senectute contusi & inutiles facti, sunt quasi arboris vetustæ rami aridi, in quibus fronde nudatis apparent nodi. 3 Dies in rerum ignorantiâ tanquam in tenebris actos. Poëta intelligit vitam ingloriam nocti obscuræ similem. 4 Vitam lutulentam & cœnosam absque virtutibus & literis actam. 5 In senectute. 6 Senectam morbis & miserijs obnoxiam.

1 Nocturnis studijs pallorem contrahere.
2 Qui iuuenilia ingenia literarum cultu expolis.
3 Metaph. ducta ab arboribus syluestribus, quibus meliorum arborum surculi inseruntur.
4 Vide suprâ quid de *Cleanthe* scripsimus. Memoriæ proditum est, cum Zenonis fuisse auditorem, adeò pauperem & laboriosum, vt noctu ex puteis aquam ad hortos Athenienſium irrigandos hauriret, cúmque pecunia non suppeteret ad chartas emendas, boum ossibus

At te nocturnis iuuat [1] *impallescere chartis.*
[2] *Cultor enim iuuenum purgatas* [3] *inseris aures*
Fruge [4] *Cleantheâ. petite hinc iuuenesque senesque*
[5] *Finem animo certum, miserísque* [6] *viatica* [7] *canis.*

At tua studia ô Cornute, à vulgaribus plebeculæ curis longè sunt aliena, siquidem.

Iuuat te impallescere chartis nocturnis.] .i. delectat te philosophorum libris dies noctésque insudare vsque ad pallorem. [*cultor enim iuuenum inseris aures purgatas fruge Cleantheâ.*] .i. tu enim iuuenum præceptor, inserendo imbuis & excolis aures, Stoicorum doctrinâ vitijs expurgatas. [*iuuenésque senésque, petite hinc finem certum animo, & viatica miseris canis.*] .i. ô iuuenes, atque ô senes ex hac philosophiâ, petite & parate animis vestris certum vitæ genus, hinc etiam ex philosophiæ studio vobis senio confectis, aliàs miseris futuris, virtutem & sapientiam quasi viaticum comparate.

aut testis fictilibus inscriberet quæ à Zenone audierat. 5 Ad quem finem omnia dicta & facta vestra spectare debent. 6 *Viaticum* dicitur, quicquid ad iter conficiendum est necessarium, siue cibus sit, siue pecunia ad victum expendenda. Græci ἐφόδιον vocant. Hic signat virtutem quâ nullum est senectuti firmius præsidium. Innuit etiam Poëta hanc vitam esse quasi peregrinationem. 7 *Cani,* Substantiuum, capillos præ senectute albos, denotant. *Intempestiui funduntur vertice cani.*

[1] *Cras hoc fiet. Idem cras fiet: quid? quasi magnum,*
Nempe diem, donas? sed cùm lux altera venit,
Iam [2] cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
[3] *Egerit hos annos, & [4] semper paulum erit vltrà.*

Verba sunt iuuenis alicuius ignaui, qui rectè viuendi horam prorogat, ac dicit, ô Persi,

Cras hoc fiet.] .i. die insequenti quod iubes exequar, i. incipiam benè viuere & virtutis studium sedulò capessere. [*idem cras fiet:*] .i. vbi illa crastina dies aduenerit (inquit Persius) tu ignaue, idem dices, sc. cras faciam, sed nunquam facies: [*quid? nempe donas diem, quasi magnum?*] Ignauus iste Persio succensens, quòd verba eius repeteret, dicit. Quid ais Persi? concedisne mihi ægrè vnam dieculam ad voluptatibus indulgendum, quasi aliquod magnum temporis spatium concederes? [*sed cùm lux altera venit.*] Respondet Persius, ô desidiose, Ego donarem tibi diem non tanquam rem magnam, vt otio indulgeas, sed cùm illa præterijt, in quâ te mores tuos emendaturum pollicebare, [*iam consumpsimus hesternum cras:*] .i. quod heri dicebatur cras, hodie perdidimus & transactum est, nec tu tamen vitam tuam corrigis: [*ecce aliud cras egerit hos annos,*] .i. tunc ecce aliud cras, & rursus aliud cras (quod tu tibi donari postulas) omnes ætatis tuæ annos consumit, [*& semper paulum erit vltrà.*] .i. & per eiusmodi procrastinationem, semper vitæ tuæ aliquantulum erit vltrà & præteritum, quod reuocare non potes.

1 Martialis. *Sera nimis vita est crastina, viue hodie.*
2 Nota, quod Nomen & Aduerbium plerumque in se transeunt. Nomen in Aduerbium vt —— *toruumque repentè clamat.* i. toruè. Item Aduerbium in Nomen, vt hoc loco & suprà Satyr. III. —— *iam clarum mane fenestras Intrat.*
3 *Egerit,* à verbo *egero,* quod significat *emittere, euacuare, extra portare.* seu potiùs vt placet alijs, *egere,* hic est quasi *pellere.* Horat. *Truditur dies die.*
4 Dies illa per desidiam tuam amissa nunquam poterit reuocari, sed te semper præcedet & erit paulum vltrà .i. paulum antè.

Nam, quamuis prope te, quamuis [1] *temone sub vno,*
Vertentem sese frustra sectabere [2] *canthum:*
Cùm rota [3] *posterior curras, & in axe secundo.*

Persius per similitudinem Currus, eleganter ostendit, diem amissam nunquam posse recuperari.

Nam, frustra sectabere canthum vertentem sese, quamuis sit prope te, quamuis sit sub vno temone, cùm curras rota posterior & in axe secundo.] .i. quamuis enim, ô rota in curru posterior, rota prior prope te sit, vt iam iam te illam assequi posse existimas, quamuis etiam illa prior rota sit tecum sub vno temone: tamen cùm tu curras posterior in curru rota & in secundo axe circumuoluare: frustrà tu quidem conaberis canthum assiduè currentem insequi. Nam quantò posterior axis magis progredietur, tantò prior magis antecedit. simillimè illud cras hesternum quod semel effluxit & est præterlapsum, nunquam potest à procrastinatore restitui aut recuperari.

1 *Temo*, Græcè, ῥυμὸς sic dictus à *tenendo*, est lignum currus inter equos intermedium, continens iugum in curru.
2 *Canthus*, est ferreus rotæ circuitus. *canthus* pro *rotâ*. significat etiam oculi angulum.
3 Rotam sequens antecedentem.

[1] *Libertate opus est; non hac, qua quisque* [2] *Velinâ*
[3] *Publius* [4] *emeruit,* [5] *scabrosum tesserulâ far*
Possidet.——

Finitis Cornuti laudibus, Poëta digreditur ad libertatis definitionem, quâ scilicet opus est ad benè viuendum secundum normam virtutis, cuius fundamentum vera libertas esse videtur.

Opus est libertate;] i. affectanti studium sapientiæ, atque volenti mores suos in melius commutare, opus est libertate; [*non hac, qua quisque Publius in Velinâ tribu possidet far scabrosum tesserulâ, vt emeruit.*] .i. non opus est hac libertate per quam vnusquisque siue Publius sit, siue alius quispiam ex seruo factus liber, & in Velinâ tribu constitutus, frumentum publicum accipit, simul ac seruitutem exuit.

1 Non corporis sed animi libertate, quæ nos à vitijs vindicat. Seneca. *Philosophiæ inseruias oportet, vt tibi contingat vera libertas.*
2 *Velina* tribus à *Veliâ* colle vrbis Romæ fortasse à lacu *Velino* dicta est. Horat. Epist. v 1. lib. 1. —— *hic multum in Fabiâ valet, ille Velinâ.*
3 Qui iam manumissus prænomen patroni adeptus est, vt *Publius* vocetur. Serui enim non habebant prænomen antequam ciues fierent, sed libertate donati præ-

nomen

nomen sumebant, & vni tribuum adscribebantur. vt, *Publius Licinius Velina.* 4 Seruitute solutus est. Metaph. est à bello. Nam *emeriti* dicuntur milites, qui honestâ causâ à militiæ munere remittuntur domum. 5 Asperum & vetustate rugosum, quale ciuibus Romanis distribuebatur viritim per tribus. Tesserulâ namque exhibitâ. (.i. signo frumentario Anglicè a Token) vnusquisque frumentum pro portione accipiebat à principe, vt scribit Sueton. in Augusto.

——*Heu steriles veri, quibus vna* [1] *Quiritem*
[2] *Vertigo facit : hic* [3] *Dama, est non* [4] *tressis* [5] *agaso,*
[6] *Vappa, et lippus, & in tenui* [7] *farragine mendax.*
Verterit hunc dominus, [8] *momento turbinis exit*
[9] *Marcus Dama.* ——

1 Ciuem Romanum, sic dictum à *Quirino*.i. *Romulo* Romani generis authore. vide suprâ.

2 *Vertigo*, hic signat serui circumagitationem, vel motum in orbem factum. Dominus enim volens seruum manumittere, illum ad prætorem ducebat, manúmque capiti eius imponens seruum circumagitabat, dicens, *Volo hunc esse liberum.* vel, *Esto liber.* Illa autem circumactio significabat seruum iam sui iuris esse, & in quamcúnque partem vellet, migrare potuisse.

Heu steriles veri,] .i. heu ciues Romani tam cæci & amentes, vt verum à falso distinguere nesciatis, [*quibus vna vertigo facit Quiritem :*] .i. quibus vna in gyrum circumactio facit liberum, & ciuem Romanum : [*hic Dama est agaso non tressis, vappa & lippus, & mendax in tenui farragine.*] .i. hic seruus (Dama nimirum) est iumentorum curator, nullius pretij, insulsus nebulo, animo cæcus, & in rebus leuiculis falsus. [*dominus verterit hunc, Marcus Dama exit momento turbinis.*] .i. esto quòd dominus hunc in gyrum circumducendo manumiserit, statim euadet liber & ciuis Romanus, cum prænomine *Marco.*

3 *Dama* nomen est seruile, de quo Horat. ——*prodis ex iudice Dama Turpis, odoratum caput obscurante lucernâ Non es quod simulas.* —— 4 Vilis, quasi trium assium. 5 *Agaso*, propriè est equorum ductor vel iumentorum curator. Apud Horatium Satyr. VIII. lib. II. *Agaso* significat ineptum vel absurdum escarum ministrum.——*si patinam pede lapsus frangat agaso.* 6 *Vappa*, propriè est vinum quod degenerat à bonitate & naturâ vini. per Metaph. significat hominem nequam, insipidum, & ad nullam rem vtilem. 7 In iumentorum pabulo & cæteris rebus vilissimis fraudulentus. 8 Subitò, quasi in ictu oculi fit liber, postquam est circumuersus, instar turbinis à puero scuticâ circumacti. 9 Accipit nomen domini sui, qui *Marcus* vocabatur, & sic vtpote ciuis Romanus prænomen est adeptus. Cuiuis enim manumisso (vt antè diximus) prænomen dabatur à domino, simul & alapa coram Prætore,

tore, vt genæ in ciuem ruberent. *Dama* igitur vile mancipium, vocatur *Marcus Dama*.i. libertinus & ciuis, quatenus à *Marco* est manumissus.

1 *Tabellæ* siue tabulæ, sunt testamenta vel publicæ scripturæ ex quacunque materia Ad testamenta signanda septem numero signatores adhibebantur, vt nulla fraus perpetraretur.
2 Si legas sine interrogatione, est Ironia amara, ceu potiùs Sarcasmus.
3 *Pileus* vel *pileum* libertatis fuit insigne. In templo enim Feroniæ, quæ libertorum Dea perhibebatur, serui cùm libertate donarentur, raso capite pileum accipiebant. Credo equidem *pileum* apud veteres virtutis spectatæ fuisse indicium, ex quo venit in consuetudinem, vt qui *Doctoris* titulo decorantur, pileum accipiant.

——papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est, assigna Marce [1] *tabellas.*
[2] *Hæc mera libertas, hanc nobis* [3] *pilea donant.*

Ironica admiratio, quòd Marcus nuper manumissus tot libertatis iura subito est adeptus, nempe vt possit pro alio stipulari & fidem interponere, deindè vt Iudex esse possit, & testis, atque tabellas testamentorum obsignare, quæ omnia seruis sunt negata.

Marco spondente,] .i. si Marcus spondeat pro alio, [*recusas tu credere nummos?*] .i. num dubitas tu pecunias alicuius fidei committere? [*palles sub Marco iudice?*] .i an trepidas, litem per iniustam sententiam amittere, vbi Marcus (vir integerrimus) est iudex? [*Marcus dixit: ita est.*] .i. si Marcus Dama dixerit rem ita se habere, da fidem ita esse, [*Marce assigna tabellas.*] .i. ô Marce, cùm tibi nuper seruo tabellas obsignare non licebat, agè nunc, testamentum conde, atque aliorum testamentis signum tuū tanquam testis appone. [*hæc mera libertas,*] .i. hæc est, si dijs placet, vera & sincera libertas, quæ tot priuilegia secum adportat, [*pilea donant nobis hanc*] .i. hanc falsam libertatem pileus (libertatis indicium) dat manumissis.

1 Hic libertatem animi à libertate corporis distinguere oportet. Liber enim non est, qui prauis inseruit cupiditatibus.
2 *Marcus Iunius Brutus* adeò libertatis studiosus

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? [1] *licet, vt volo, viuere: non sum*
Liberior [2] *Bruto? ——*

Ad refellendum illam poetæ Ironiam, pileatus quidam libertus ex definitione libertatis obijcit & probat se esse liberum, dicens,

An quisquam alius est liber, nisi cui licet ducere vitam

vt

vt voluit? licet viuere, vt volo, non sum liberior Bruto?] Syllogismus est integer.

Maior. Liber est qui potest suo arbitratu viuere,

Assumptio. At ego iam manumissus, meo possum arbitratu viuere

Conclusio. Ergò ego sum liber.

fuit, vt expulso Tarquinio superbo propter Lucretiæ stuprum, proprijs etiam filijs non pepercit, sed eos virgis cæsos securi percussit, propterea quòd cum Aquilijs & Vitellijs, de reducendo rege, coniurassent.

———mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurum mordaci lotus [1] *aceto.*
Hæc reliqua accipio: licet, vt volo, viuere, *tolle.*
[2] *Vindictâ postquam* [3] *meus à Prætore recessi,*
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas,
[4] *Excepto, si quid* [5] *Masuri* [6] *rubrica vetabit?*

Respondet Persius. *Hic Stoicus lotus aurem aceto mordaci, inquit colligis mendosè.*] .i. aliquis philosophus ex sectâ Stoicorum habens aurem acri disciplinâ purgatam, quæ facilè tuam crassam deprehendit ratiocinationem, inquit, ô Marce Dama, falsè tu quidem argumentaris, Nam, [*accipio hæc reliqua:*] .i. Admitto tuam maiorem propositionem esse veram: [*sed tolle, licet, vt volo, viuere,*] .i. tolle hoc igitur quod assumis. i. nego Assumptionem. Nam tibi manumisso non licet tuo arbitratu viuere. [Dama Assumptionem negatam sic conatur probare. *postquam recessi meus à Prætore vindictâ,*] .i. postquam ego vindictâ Prætoris pronunciatus sum liber, [*cur non liceat mihi quodcunque voluntas iussit?*] .i. quidni mihi liceat facere, quodcunque voluntati meæ placuerit? [*excepto, si quid rubrica Masuri vetabit.*] .i. eo tantùm excepto, quod ius publicum prohibebit.

1 *Acetum* pro acutâ disciplinâ. Nam acetum acrimoniam habet vehementem.

2 *Vindicta* erat ea virgula, quâ Prætor seruum in libertatem vindicabat.

3 Mei iuris, meæ potestatis. Terent. in Phorm. *Ego meorum solus sum meus.*

4 Hæc dictio pro Nomine vel Verbo indifferenter accipi potest, & sensus erit idem.

5 De *Masurio* crebra fit mentio apud Aulum Gellium. Fuit enim magnus Iurisconsultus & tandem in Equitum ordinem receptus, sed adeò pauper & egenus (quod bonis & honestis Iuridicis aliquando accidit) vt ipsum senio confectum sui aluere discipuli.

6 *Rubrica* hoc loco ponitur pro Lege, cuius titulus vel initium minio notabatur. Iuuenal. —— *perlege rubras Maiorum leges.*——

Disce: sed ira cadat [1] *naso, rugosáque* [2] *sanna,*
Dum

1 Metaph. à canibus, qui naribus